Z.
LE III
V.

BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
XXV.*
A
4
NAPOLI

Digitized by Google

XXV
A.
4

Digitized by Google

ALEXANDRI AETOLI

FRAGMENTA

COLLECTA ET ILLUSTRATA

AB

ALOYSIO CAPELLMANNO

BARDENBERGENSI

Phil. Dr.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

BONNAE

APUD ADOLPHUM MARCUM.

MDCCCXXX. 1830

Digitized by Google

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

CAROLO FRIDERICO HEINRICHIO

FRIDERICO THEOPHILO WELCKERO

AUGUSTO FERDINANDO NAEKIO

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

AUGUSTO MEINEKIO

FUTURO ALEXANDRI EDITORI

PRIMUM HOC STUDIORUM SUORUM SPECIMEN

PIO ANIMO

D. D.

SCRIPTOR.

Digitized by Google

DE

ALEXANDRI AETOLI
PATRIA, VITA ET SCRIPTIS.

De Alexandri Aetoli vita rebusque rarissima veterum scriptorum testimonia sunt, quae tanto accuratius opus est perscrutari atque examinare.

Patria oriundus fuit Pleurone, Aetoliae oppido, quod cum Calydone inter oppida historiae graecae antiquissima erat: utrumque ab Homero commemoratur in catalogo navium v. 639 sq., et a Strabone lib. X. p. 450. [1]) olim fuisse dicitur Graeciae ornamentum; a Statio Theb. IV. 105. appellatur Meleagria Pleuron, tanquam a Meleagro Calydonio illo heroe condita fuerit. In eodem libro X. p. 451. [2]) Strabo

---

1) *Αἰτωλῶν δ' εἰσὶ Καλυδών τε καὶ Πλευρὼν νῦν μὲν τεταπεινωμέναι· τὸ δὲ παλαιὸν πρόσχημα τῆς Ἑλλάδος ἦν ταῦτα τὰ κτίσματα.*

2) *— Τὸν Ἀράκυνθον, περὶ ὃν τὴν νεωτέραν Πλευρῶνα συνῴκισαν ἀφέντες τὴν παλαιὰν ἐγγὺς κειμένην Καλυδῶνος οἱ οἰκήτορες, εὔκαρπον οὖσαν καὶ πεδιάδα, πορθοῦντος τὴν χώραν Δημητρίου τοῦ ἐπικληθέντος Αἰτωλικοῦ. —*

loquitur de recenti Pleurone, quam incolae ad Aracynthum montem condiderint antiqua illa in solo fertili ac plano relicta ob terram a Demetrio devastatam, cui cognomen Aetolici sit. Qui fuerit ille Demetrius Aetolicus, interpretes Strabonis dubii sunt, neque aliunde quidquam hac de re compertum habemus: de Poliorceta cogitare profecto non licet, quamquam in cod. Med. 2. pro *Αἰτωλικοῦ* correctum legitur *Πολιορκητοῦ*; fuit haud dubie Demetrius II. — Antigoni Gonatae filius, pater Philippi, Persei avus — quem Macedoniae regem [3]) contra Aetolos bellum gessisse locupletissimus nobis testis Polybius est lib. II. 44. 1, XX. 5. 3. Alexandrum nostrum antiqui oppidi civem fuisse ex temporum ratione mox apparebit. Saepissime a scriptoribus nominatur Aetolus, nonnumquam vero Pleuronius. Meursius in Bibl. Gr. (in Gronovii thes. antiqu. gr. Vol. X. p. 1206. 1209.) Alexandrum Aetolum et Alexandrum Pleuronium tanquam duos nominavit. Aetolum neminem alium in omni graecarum litterarum aetate scriptorem cognovimus, ita ut quae de Alexandro laudanda sunt eo maiori laude digna videantur.

Parentes habuit Satyrum et Stratocleam, quod matris nomen suspicari fortasse nos iubet eam non humilibus parentibus natam fuisse: testes huius rei Suidam habemus voc. *Ἀλέξανδρος* et Eudociam in

---

[3]) Imperium tenuit inde ab Ol. 134. 1. usque ad Ol. 136. 3.

Villoisoni Anecdot. gr. Tom. I. p. 62. [4]). Tempus quo vixit pluribus scriptorum testimoniis confirmatum est: Diog. Laert. lib. IX. segm. 110. Timonem dicit cognitum fuisse Ptolemaeo Philadelpho, et segm. 113. [5]) eundem tragoediarum argumenta cum Alexandro et Homero communicasse. Scholiastes Hephaestionis testatur Ptolemaei Philadelphi temporibus septem optimos tragicos vixisse, quos Pleiadem nominaverint, in quam receptum fuisse Alexandrum nostrum uterque Hephaestionis Scholiastes (p. 32. 39 [6]) ed. Pauw.) et Suidas atque Eudocia l. l. omnes consentiunt. Suidas denique voc. Ἄρατος Σολεὺς [7])

---

[4]) Suidas: „Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλὸς ἐκ πόλεως Πλευρῶνος υἱὸς Σατύρου καὶ Στρατοκλείας, γραμματικος· οὗτος καὶ τραγῳδίας ἔγραψεν ὡς καὶ τῶν ἑπτὰ Τραγικῶν ἕνα κριθῆναι, οἵπερ ἐπεκλήθησαν ἡ Πλειάς.“ Eudociae verba fere eadem sunt, neque novi quidquam iis docemur.

[5]) — μετεδίδου δὲ τῶν τραγωδιῶν Ἀλεξάνδρῳ καὶ Ὁμήρῳ.

[6]) Heph. Schol. p. 73: „ἐπὶ τῶν χρόνων Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου ἑπτὰ ἄριστοι γεγόνασι τραγικοὶ, οὓς Πλειάδα ἐκάλεσαν διὰ τὸ λαμπροὺς εἶναι ἐν τῇ τραγικῇ, ὥσπερ ἄστρα τὰ ἐν τῇ Πλειάδι· εἰσὶ δὲ οὗτοι· κ. τ. λ. καὶ Ἀλέξανδρος κ. τ. λ.“

[7]) Ἄρατος Σολεὺς τῆς Κιλικίας (ἔστι γὰρ καὶ ἐν Κύπρῳ πόλις Σόλοι) υἱὸς Ἀθηνοδώρου· γεγονὼς ἐν τῇ ρκδ΄ ὀλυμπιάδι, ὅτε ἦν Ἀντίγονος βασιλεὺς Μακεδονίας, υἱὸς Δημητρίου τοῦ Πολιορκητοῦ, ὁ Γωνατᾶς κληθεὶς, καὶ συνῴκει τε αὐτῷ καὶ παρ' αὐτῷ ἐτελεύτησε, σύγχρονος Ἀνταγόρᾳ τῷ Ῥοδίῳ καὶ Ἀλεξάνδρῳ τῷ Αἰτωλῷ.

Digitized by Google

tradit Aratum Antigoni Gonatae vixisse temporibus, circa Ol. 124., aequalem Antagorae Rhodio et Alexandro Aetolo: Philadelphus vero regnavit inde ab Ol. 123. usque ad Ol. 133. Ergo Suidam de tempore quoque Alexandri ceteris testibus consentientem videmus. Conf. vitae Arati (quas vide in Arati editione Buhliana), quae quantumvis inter se discrepent, hoc tamen omnibus commune testimonium est Aratum vixisse temporibus Antigoni Gonatae atque Ptolemaei Philadelphi, et aequalem fuisse Alexandri Aetoli. Una earum et quidem uberrima etiam hoc refert Aratum in epistolis suis, quae interierunt, Alexandri Aetoli mentionem fecisse; alia, quam Buhlius tertiam posuit, cum Arato testatur Alexandrum Aetolum aliosque apud Antigonum Gonatam commoratos fuisse („—*Ἀντίγονος ὁ Γωνατᾶς, παῤ ᾧ διέτριβεν αὐτὸς καὶ σὺν αὐτῷ . . . . Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλός*"); et in eadem hac tertia Antagoras ille Rhodius *ὁ τὴν Θηβαΐδα ποιήσας* vocatur. Ceterum omnes illae vitae satis ostendunt Aratum, Alexandrum, Antagoram, alios familiaritate quadam coniunctos fuisse litterarum studiis confirmata.

De morte Alexandri nihil nobis traditum est, atque libenter me fateor ne invenire quidem potuisse, unde Reiskius in notitia poetarum anthol. p. 180. illud petiverit Alexandrum Aetolum vixisse Ptolemaei Evergetae aetate. Ne quis vero verbis Stephani Byzantii voc. *Πανδοσία* decipiatur, quem locum alii iam interpretes admirati sunt, sciat, quod Naekius vidit in Schedis Criticis p. 8, pro Alexandri Aetoli

nomine ex Strabone lib. V. p. 256 [8]) restituendum esse nomen Alexandri Molossi; de Alexandro Aetolo Stephanus ne cogitavit quidem: profecto enim voc. *Πλευρὼν* eum commemoraturus fuisset; quid ad hunc etiam castella et ea quidem Italiae pertinuerint? Illud fortasse licet praeterea suspicari Alexandrum et natu minorem fuisse Arato et superstitem eius, quoniam inter eos nominatur, qui Aratum dicuntur commentariis illustravisse: sed in eorum catalogo [9]) etiam scriptores Arato longe antiquiores commemorantur, e. g. Thales, Parmenides, Hermippus, profecto nullam aliam ob causam, nisi quod et hi de astris scripserunt; quare argumentum nostrae quaestionis ex eo repeti nequit.

---

[8]) — *Πανδοσία φρούριον ἐρυμνόν, περὶ ἣν Ἀλέξανδρος ὁ Μολοττὸς διεφθάρη.* Stephani Byzantii verba haec sunt: „*Πανδοσία, φρούριον Βρεττίων ἐρυμνόν, τρικόρυφον, περὶ ὃ ἐφθάρη Ἀλέξανδρος ὁ Μολοττός.*“ — Antea legebatur *Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλός.*

[9]) Iste catalogus invenitur in Petavii doctrina temporum Tom. III. p. 147. edit. Antwerp. 1703. additus commentario qui inscriptus est *Ἐρατοσθένους ἐν ἄλλῳ Ἱππάρχου εἰς τὰ Ἀράτου φαινόμενα.* Catalogus ipse inscribitur *οἱ περὶ τοῦ ποιητοῦ συνταξάμενοι.* Commentarii verus scriptor nobis ignotus est, et fortasse catalogus non eiusdem scriptoris, qui commentarium scripsit: commentarius enim non sine omni doctrina est, in catalogo autem scriptores et Arato antiquiores et recentiores, qui astronomica tantum tractavere argumenta, imprudentissime cum veris Arati interpretibus confusi sunt.

Alexandrum nostrum apud Antigonum Gonatam fuisse iam dictum est; eum Alexandriae quoque habitavisse vel certis quibusdam causis commotum illuc profectum fuisse, vel a regibus amatum atque istos ab eo carminibus celebratos nemo quidem scriptorum apertis verbis testatur, attamen dubitare de his rebus ridiculum foret: Alexander iisdem quibus litterarum studiosi omnes tunc temporis impellebantur causis adductus est, ut patria sua omissa quasi confugeret Alexandriam, „urbem bonarum rerum copia florentissimam, totius terrarum orbis quasi forum“, ubi „in communi provinciarum atque terrarum vastatione et vexatione tutum et augustum praesidium ac receptaculum litteris divina sapientia in Ptolemaeorum regia erat provisum“; Alexander eadem qua ceteri, qui Alexandriam artium ac litterarum colendarum causa confluxerant, regum benevolentia fovebatur, et foventibus certe in carminibus gratum se praestitit [10]; atque dignus habitus est qui optimis illorum temporum tragicis adnumeraretur [11]), qui postea, quia septem fuerant, Pleiadis nomine sunt appellati. Qui vero illi septem fuerint, et veteres, quos huius rei testes habemus, et recentiores alii alios veterum secuti inter se valde dissentiunt. Suidas modo sex

---

10) Conf. Theocr. XVII. 115:
Μουσάων δ' ὑποφῆται ἀείδοντι Πτολεμαῖον
Ἀντ' εὐεργεσίας.

11) Suidas voc. *Ἀλέξανδρος*, Eudocia l. l. et Hephaestionis Scholiastae l. l.

Pleiadis tragicorum nomina commemoravit: Sosiphanem, Sosithcum, Homerum, Alexandrum, Lycophronem, Philicum. Unus Hephaestionis Scholiastes p. 32. de his excepto Sosiphane laudat etiam Aeantidem ac Dionysiadem, et alter Scholiastes p. 93. praeter sex illos a Suida laudatos Aeantidem habet. Octo igitur Pleiadis poetas a veteribus varie laudatos videmus: de his unum excludere diu recentiores frustra conati sunt — Alexandrum quidem nemo —; frustra est etiam Leisneri disputatio de Pleiade tragicorum graecorum quam instituit Gizae 1745. 4. A. M. Nagelii de Pleiadibus veterum graecorum Dissertationem (scr. Altdorf. 1762. 4.) legendi copia mihi non fuit concessa. Doctissime vero atque ut mihi quidem persuasum est rectissime Naekius in Schedis Criticis et de singulis poetis disputavit et generalem illam quaestionem instituit, cuius viri sententiam ut breviter videatis, una hacc verba ex eius libro p. 28. transcribam: „Nullum igitur ex his octo, quos dixi, cum specie iuris ex Pleiade removere poterimus, videturque adeo inter antiquos ipsos de illis discrimen fuisse.“ [12]) Id vero ex isto veterum discrimine

---

12) Nunc Naekius, ut ipse ex eo audivi, si unus excludendus sit, Sosiphanem putat excludendum esse, de cuius tempore valde discrepant testimonia apud Suidam. „Σωσιφάνης, Σωσικλέους, Συρακούσιος, τραγικός. ἐδίδαξε δράματα ογ'. ἐνίκησεν δὲ ζ. ἔστι δὲ καὶ αὐτὸς ἐκ τῶν ζ. τραγικῶν, οἵ τινες ὠνομάσθησαν Πλειάς· ἐγένετο δὲ ἐπὶ τῶν τελευταίων χρόνων Φιλίππου· οἱ

veri simillimum fit, non iam primis illis temporibus Pleiadis nomen, sed nescio quanto postea inventum fuisse, neque aut septem tantum tragicos vixisse aut ex omnibus tanquam examine facto septem optimos in Pleiadem fuisse receptos. Fortasse etiam plures quam illi octo fuere, quorum posteriores scriptores alii alios septem, amatissimum illum numerum, ut cuique optimi videbantur, Pleiadis nomine, ab uno tantum invento, secuti omnes hunc unum, complexi sunt. Hoc tantum quaeri, nec vero diiudicari potest, Suidae quis Pleiadis poeta septimus fuerit. Ceterum Pleiadem tantum tragicorum habemus: quae enim nonnulli de Pleiade poetarum simpliciter tradiderunt, — ποιητῶν ἁπλῶς — quaeque Fabricius de Pleiade comicorum collegit ex Athenaei loco perperam intellecto (l. XIV. p. 664. a.), ea satis refutata vide a Naekio in Schedis Criticis p. 2. sq.: „Nimirum pro tragicis ipsi ignotis bonus homo (Tzetzes) poetas ingessit in Pleiadem infantibus notos, Theocritum, alios.“ p. 3.: „Machon, licet comicus, cum poetis Pleiadis Tragicis Satyricisque conferri potuit ab Athenaeo.“ De pluribus vero poetarum Pleiadibus cogitari ac tradi potuisse, et a variis varios in unam Pleiadem fuisse confusos, id eo minus mirum videatur, quod non unus quisque illorum poetarum uni litterarum

---

δέ, Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος· τελευτᾷ δὲ ριά. ὀλυμπιάδι· οἱ δέ, ριδ΄. οἱ δὲ ἀκμάσαι αὐτὸν γράφουσι * * *“ — reliqua exciderunt.

studio deditus fuit, sed omnes fere omnibus studiorum generibus et quidem diversissimis simul occupati fuerunt, ita ut idem grammaticus atque poeta, idem epicus atque dramaticus, idem comicus atque tragicus esset, qua de re mox plura disserentur.

Alexander aequales atque haud dubie familiaritatis litterarumque vinculo quodam sibi coniunctos habuit Aratum Solensem, Antagoram, Thebaidis scriptorem, ac Simmiam (cuius praeter epigrammata ex *Apolline*, epico carmine, fragmentum habemus in Tzetzae histor. Chiliad. VII. v. 695—707), Rhodios; Lycophronem Chalcidicum, Homerum, *νεώτερον* [13]), *οὐ τὸν ποιητήν, ἀλλ' υἱὸν Μυροῦς τῆς Βυζαντίας ποιητρίδος* [14]), reliquos Pleiadis tragicos; deinde Philetam Coum, Theocritum, Callimachum, alios, quorum omnium Alexander et suis et proximis inde temporibus certe non minimam famam aut minimum nomen habebat.

Scripta eius multo post Chr. n. cognita fuerunt: nonnulla enim epigrammata eius inserta sunt anthologiis, quarum priores primis post Chr. n. seculis colligebantur; Athenaeus, qui plura ex eius scriptis fragmenta servavit, tertii seculi est; recentissimus quem constat ipsa Aetoli scripta legisse, quinti seculi fuit Stobaeus. Fortasse hoc ipso seculo quinto, monumentis graecarum litterarum tam pernicioso,

---

13) Hephaestionis Schol. p. 32.

14) Hephaest. Schol. p. 93.

interierunt nescio quo fato, suspicari licet Constantinopolis incendio exstincta, aut postea seculo septimo in bibliotheca Ptolemaeorum per Arabes igne deleta; non usque ad Suidae tempora servata ea fuisse ex ipsius (voc. Ἀλέξανδρος) Suidae verbis plus quam veri simillimum est. Romani Alexandrum, quantum ex iis, quae de eo tradiderunt, colligi potest, cognitum videntur parum habuisse: Virgilium vero nonnulla ex libris eius petisse testatur Macrobius Saturnal. lib. V. c. 22., testimonium poetae nostro admodum honorificum. Virgilius fortasse Parthenio magistro auctore Alexandri scripta cognoverat. Alia de Alexandro, nisi de singulis eius scriptis, testimonia nulla habemus.

Alexander Aetolus in omnibus fere et poesis et pedestris orationis generibus videtur versatus fuisse, quod quidem ipsi et omnibus est illorum temporum scriptoribus commune. Poetae ingenium suum qualecunque erat quasi dividebant inter omnia carminum genera, atque argumenta carminum non tam ex veris poesis fontibus quam aliunde ex rebus ab ea longe remotissimis, e subtili aliqua disciplina, ex astronomicis, physicis, geographicis, aliis rebus, quas dixeris boni poetae minime esse, haurire solebant; neque vero ab historicis rebus poetae abstinuerunt: quae enim ex historia investigata habebant, ea nimio plerumque ostentandi studio carminibus inserere, atque historici versibus tradere historias conabantur. Maxime vero Grammatica, qualis tunc temporis fuit, quam non appellaverim novam disciplinam, attamen novam

veteris disciplinae speciem, omnes quosquos scriptores occupatos tenebat. „Hanc dico Grammaticam, antiquitatis indagatricem, quae hominum, temporum rerumque gestarum monumenta memoria et iudicio complectitur; cuius scientiae incredibilis suavitas semel percepta per duo fere secula hominum mentes ita tenuit, ut nulla vehementius quam Grammaticae studia vigerent" [15]). Poetarum, quorum opera curaque magna in fabulis subtiliter explicandis atque idcirco in perscrutandis veteribus scriptoribus collocata erat, et Grammaticorum studia communi vinculo inter se summopere continebantur, neque bonus quisquam poeta fuit, qui non esset Grammaticus; nec vero omnino ullus ex omnibus illustre sibi nomen comparatum habebat, „qui non et bonus poeta, et grammaticus et philosophus et mathematicus praeclarus existimaretur". Quanta illorum doctissimorum virorum de nobis et omnium quae sequentur temporum hominibus merita sint, profecto a nemine unquam dubitabitur: attamen polymathia illa certum est „ingenia obrui potius quam ali debuisse" — *πολυμαθίη νόον οὐ διδάσκει* — atque tam variam scriptorum copiam ab uno eodemque profectam aut verum uberrimi eius ingenii fuisse indicium, aut ipsis litteris perutilissimam existimare minime possum. Non enim tam variis ac prope diversis ingenia humana solent re vera excellere, atque ut in rebus

---

[15]) Lobeckius ad Phrynichum p. 481.

certe haud levibus grave aliquid ac magnum elaboretur, toti nos oportet iis dediti simus.

Neque illius aetatis scriptores tam inventioni quam veterum imitationi studium suum laboremque navarunt: inveniendi tempus quasi defluxerat, aetatis quae successerat homines in eo summam operam collocabant, ut priorum inventa colligerent, imitarentur atque subtiliter explicarent. Quare non immerito velut Eratosthenes, qui secundas in omnibus disciplinis tenebat, suae aetatis Beta nominatus est, sic omnis illa aetas in toto temporum ordine litterarum graecarum Beta appelletur. „Habent tamen scriptores et inprimis poetae Alexandrini, antiqui quidem illi, suam elegantiam, amoenitatem et amabilem simplicitatem quandam, non horridam illam et incultam, sed mundam et politam eoque magis notabilem, quo obscuriorem eos diligentiam in aliis rebus posuisse apparet, sed communem tamen cum omnis istius seculi vitae elegantia. Miramur adeo in iis et laudamus orationem tersam, nitidam, puram et elegantem". [16]) Sed ego hac de re ne aut levia dicam, aut eadem, quae a viris doctissimis optime iam dicta sunt, legatur ipsa Heynii disputatio *de genio seculi Ptolemaeorum* in opusce. acad. vol. I. conf. Manso in *variis scriptis*, in commentatione quae inscribitur *Ueber das Rhetorische Gepräge der Röm. Litteratur.*

---

[16]) Heynius.

Alexandri Aetoli varia scripta, quorum partim nonnulla fragmenta, partim nomina tantum nobis servata sunt, partim etiam neutrum quidem, sed solum indicium in nomine ipsi poetae tributo, in hunc mihi visa sunt ordinem redigenda: A. Grammatica — B. Dramata — C. Anapaestici versus — D. Phlyaces — E. Epigrammata — F. Elegiaca — G. Epica — H. Astronomica — I. Historia.

A. GRAMMATICA.

Ex Suidae atque Eudociae de Alexandro locis laudatis apparet praecipuum ipsi nomen fuisse Grammatici, quippe quod ab iis velut cognomen constans Aetolo addatur, quamvis cum Grammatica re vera scripsisse nullum usquam testimonium traditum sit. Equidem existimo illud nomen Aetolo tributum esse nonnisi propterea quod magistri publici provincia functus in schola tum litteras docuerit, tum scriptores veteres commentatus sit atque interpretatus, sicut praeter alios etiam Callimachus Hermocratis Grammatici discipulus *γραμματικὸς* a munere docendi litteras appellatus est. [17]) Nullus tamen dubito Alexandri commentarios discipulis in schola traditos in scripta eius referre, quoniam veri simillimum est eos etiam scriptos publice editos esse.

---

[17]) Suidas in vita Callimachi: „*γράμματα ἐδίδασκεν ἐν Ἐλευσῖνι, κωμυδρίῳ τῆς Ἀλεξανδρείας.*“

B. DRAMATA.

Quanquam ex omnibus dramaticis Alexandri carminibus quinque tantum versus nobis servati sunt, tres ab Athenaeo, unus a Stobaeo, quintus in Scholiis Homeri, ex his tamen ipsis versibus, aliorum eius dramatum nominibus ac Suidae testimonio comparatis, non modo tragoedias eum scripsisse, sed comoedias quoque, satis certe ut videtur colligi potest. Mirum quidem est a Suida eum dici tragoedias, non etiam comoedias scripsisse; at Suidae silentium hac de re uni tribuendum incuriae videtur, quae quanta nonnunquam summae eius diligentiae atque doctrinae fuerit coniuncta, uno iam exemplo, quod ad nostram rem quodammodo pertinet, etiam si alia non essent, satis comprobaretur. Nimirum ex Pleiade sex tantum poetas nominat, et eorum quemque dicit esse unum e septem illis Tragicis qui Pleias nominentur: septimum vero omisit. Aliud exemplum vide infra de Sotade litt. D. Neque obiicies unum eundemque poetam tragicum et simul comicum esse non posse: illa enim aetate scriptores omnes fere omnia scribendi genera complecti solebant, neque tam suo quisque ipsius quam temporis ingenio atque indoli obsequebantur, utque neutro in genere, neque tragoedia neque comoedia summopere excellebant, ita in utroque facile poterant esse mediocres. Idem ille Callimachus, Alexandri aequalis, a Suida diserte dicitur et comoedias et tragoedias scripsisse; et Alexander Aetolus, poeta tragicus, qui phlyaces composuerit,

aeque bene ad comoedias potuit scribendas converti. Sed argumentum iam desiderabis, quo doceatur ab eo re vera comoedias scriptas fuisse. Poetae nostri fabulae Athenaeus l. IV. p. 170. e. et nomen et fragmentum servavit, quorum ex utroque comoediam eam fuisse quam veri simillimum est: „ἐκ δράματος Ἀλεξάνδρου, ᾧ ἐπιγραφὴ Πότος" (frg. I.). Fabricius in Bibl. Gr. eam tragoediam dicit, quoniam Alexander nusquam comicus appellatur; Harlesius vero iam nominis causa eam inter comoedias refert; profecto mirum hoc nomen tragoediae esset; fragmentum vero servatum clare ostendit maximam fabulae partem fuisse convivium rusticum diligenter praeparatum et iucundissimis delectationibus instructum. Dubitabis fortasse de ipso huius fabulae scriptore; non enim Athenaeus Alexandri Aetoli s. Pleuronii eam esse testatur, sed Alexandri: at alius quisquam Alexander qui huius dramatis scriptor sit, cogitari non potest. Patriae significatio propterea videtur omissa, quod et ipse Alexander noster ut poeta dramaticus Athenaei aetate satis cognitus erat, et carmina eius dramatica valde celebrata: ubi alia nostri carmina laudantur, semper patriae significatio addita est. Ob eandem fortasse causam, quamvis certa quadam huius rei causa non opus sit, Athenaeus lib. XV. p. 699. b. c., ubi ἐλεγεῖον aliquod poetae nostri laudatur, eius nomini addidit ὁ τραγῳδοδιδάσκαλος. — Meursius in Bibl. gr. voc. Ἀλέξανδρος Αἰτωλὸς huic ipsi eam tribuere non dubitavit. — Haud minus veri simile videtur *Τοὺς Αἰπόλους*, quod Alexandri carmen Zeno-

bius ad Proverb. Cent. VI. 11. „*Τὰ Τρία τῶν εἰς τὸν θάνατον*“ laudat, poetae nostri comoediam fuisse, quanquam ne unum quidem ex ea versum servatum habemus: Meursius l. l. diserte eam tribuit Alexandro Aetolo; Fabricius recte statuit esse nomen comoediae: quoniam vero Alexander Aetolus *τραγῳδοδιδάσκαλος* appellatur, apud Zenobium pro Alexandro Alexidis nomen restituendum existimat; idem iam ante Fabricium coniecit Andreas Schottus, Zenobii editor, propterea quod Suidas eiusdem illius proverbii dicit Alexidem comicum *ἐν αἰπόλοις* mentionem fecisse: fatetur tamen Schottus nihil mutandum. Zenobii verba ad istam *παροιμίαν* haec sunt: „*μέμνηται ταύτης Ἀλέξανδρος ἐν Αἰπόλοις. Ἀριστείδης μὲν οὖν φησίν, ὅτι ὁ μαντευόμενος ἐν Δελφοῖς σεσημασμένον ἐλάμβανε τὸν χρησμόν. καὶ προείρηται αὐτῷ, εἰ λύσει πρὸ τῆς νενομισμένης ἡμέρας, ἕξει μίαν τῶν τριῶν. ἢ γὰρ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτὸν ἔδει στερηθῆναι, ἢ τῆς χειρὸς ἢ τῆς γλώττης. ἄλλοι δὲ φασίν, ὅτι τῷ καταγινωσκομένῳ θάνατον τρία προσεφέρετο, ξίφος, βρόχος, κώνειον.*“ Suidas vocc. *Τὰ Τρία εἰς τὸν θάνατον* eadem narrat omissa tantum Aristidis mentione, interpositis vero verbis *μέμνηται Ἄλεξις ἐν Αἰπόλοις*. Theodorus Canterus, quem Schottus laudat, in Zenobii verbis pro *Ἀλ. ἐν Αἰπόλοις* coniecit *Ἀλ. ὁ Αἰτωλός*; quae coniectura id quidem ostendit eum de vero Alexandro cogitavisse, attamen et ipsa iusto audacior est, et eo refellitur, quod verba *ἐν Αἰπόλοις* etiam apud Suidam leguntur, e Zenobio haud dubie transcripta; nomen vero scriptoris aut ipse Suidas incuria mutavit,

Digitized by Google

aut librarius aliquis apud Suidam scripturae compendio non intellecto, fortasse Ἀλέξ. scriptum, corrupit. Utcunque res erit, hoc loco non tam propter Suidam Zenobii verba, quam propter Zenobium Suidae mutanda videntur. Andreas Schottus Zenobii verba in latinum sermonem ita convertit, quasi Aristides ab Alexandro exempli gratia commemoratus sit: verba enim Ἀριστείδης μὲν οὖν φησίν, ὅτι κ. τ. λ. sic interpretatus est: *Aristidem ait consulto oraculo Delphico obsignatum accepisse* etc. Vocabulum φησὶν retulit ad Alexandrum, referendum vero est ad Aristidem: Aristidi infra oppositi sunt ἄλλοι; verba sunt Aristidis [18]), non Alexandri: si Alexandri essent, haberemus certum indicium τοὺς αἰπόλους non dramaticum carmen fuisse: Alexander proverbium illud in comoedia certe non explicuit, sed eius tantum fecit mentionem. De proverbio ipso conf. Kusterum ad Suidam et Petri Pantini annotationes ad Apostolii Cent. XVIII. prov. 20: Τὰ Τρία εἰς τὸν θάνατον.

Sequitur *Τίγων*, quod carmen utrum comoedia fuerit an tragoedia, omnino non liquet, fortasse ne fabula quidem: nihil enim ex eo servatum est, neque nomen ipsum cognovimus. Id quidem partim ex nomine, partim ex nuda nominis ab Athenaeo facta mentione mihi videor coniicere posse unum ex

---

[18]) Conf. Athen. lib. XIV. p. 641. a: ὡς Ἀριστείδης φησὶν ἐν τρίτῳ περὶ παροιμιῶν. Quis vero fuerit hic Aristides, ego ignoro: fortasse Milesius intelligitur, qui historias scripsit.

maioribus carminibus fuisse, sive epicum, sive dramaticum: aliae vero hac de re coniecturae frustra sunt. Athenaei locus est lib. XI. p. 496. c: *μνημονεύει αὐτοῦ* (*προχύτου*, poculi cuiusdam) *καὶ Ἀλέξανδρος ἐν Τίγονι.* Sic legitur in vetere ms. et omnibus edd.; diversissimae tamen factae sunt coniecturae: *Ἀλ. ἐν Ἁλιεῖ* (a Casaubono), *Ἄλεξις ἐν Ἀγῶνι, Ἄρχιππος ἐν Ῥίνωνι* (a Villebrunio), *ἐν Τρυγόνι* (a Schweighaeusero). Miror quod a nemine proposita sit coniectura *ἐν Τίμωνι*, quae comoedia laudatur Antiphanis ab Athenaeo VII. p. 309. d.

. Alexandri *Διόνυσος* a Marciano laudatur in scholiis Homeri (apud Villoisonum): hoc dramatis nomen esse ex uno in scholiis versu servato apparet (frg. IV.); utrum vero comoediae an tragoediae, potest dubitari. Comoediae multae veterum poetarum traduntur Dionysi nomine inscriptae: Chaeremonis, Epicharmi, Eubuli, Magnetis Atheniensis, Timoclis, aliorum; tragoedia *οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον;* Euphorionis epicum fuit carmen *Διόνυσος.* Nostrum fortasse drama satyricum fuit, non quidem trilogiae dramaticae adiunctum, sed solum ac nudum qualia ea carmina satyrica erant a Sositheo [19]) restituta aut potius inventa, quibus in Bacchi honorem compositis Alexandriae Philadelphi temporibus certabatur, quae certamina Theocritus XVII. 112.

---

[19]) Naekii Schedae Criticae p. 4. sq. Eichstaedt. de Dramate Graecorum Comico-Satyrico.

Διονύσου ἱεροὺς ἀγῶνας appellat. Versus, qui servatus est, levi facta emendatione ipse a nullo dramaticorum genere abhorret. Ceterum ne quis opinetur hanc fabulam Alexandri Thasii esse, qui in Etym. M. voc. *Διόνυσος* laudatur, dicam hunc Thasium originem vocabuli *Διόνυσος* explicare conatum fuisse, quod Etymologi, non poetae dramatici est.

Superest unus incertae Alexandri fabulae versus apud Stobaeum poetae nostro haud dubie tribuendus (frg. V.).

Quales et quantae Alexandri atque omnium Pleiadis poetarum in tragoedia virtutes fuerint, neque ex reliquiis, neque ex veterum testimoniis potest cognosci. Sui ipsorum temporis illi septem tragici optimi erant [20]), multa digni consideratione [21]), ab antiquis tragicorum principibus, Aeschylo, Sophocle, Euripide, proximum locum tenebant [22]). Alexander ab Athenaeo lib. XV. p. 699. b. appellatur *τραγῳδοδιδάσκαλος*, quo quidem vocabulo nil aliud significatur quam *scriptor tragoediarum:* de poeta tragico praecepta fabularum agendarum sive scribenti sive alio modo tradenti cogitari non debet. Item ab Aristotele in lib. de art. poet. IV. §. 13. isto vocabulo intelliguntur ipsi poetae, tragoediarum scriptores: ibi enim *οἱ τραγῳδοδιδάσκαλοι* oppositi sunt *τοῖς κωμῳδοποιοῖς;* et apud Schol. ad Ar. Plut. v. 290.

---

20) Heph. Schol. l. l.

21) Eustath. ad Od. ε. v. 272. p. 223.

22) Suid. voc. Ὅμηρος et voc. Φιλίσκος.

Philoxenus dicitur διθυραμβοποιὸς ἢ τραγῳδοδιδάσκαλος. Nominatur τραγῳδοδιδάσκαλος · ὁ τὰς τραγῳδίας διδάσκων, quem Latini *docere* fabulas dicunt. Ista loquendi ratio inde quidem haud dubie orta est, quod poetae dramatici fabulas suas in scena edituri histrionibus praecepta suas partes agendi dare solebant: paullatim vero prima illa significatio ita mutata est, ut postea poetae fabulas in scena edentes *docere*, διδάσκειν, eas dicerentur, atque ipsi τραγῳδοδιδάσκαλοι nominarentur. Praeter hanc frequentissimam huius nominis formam alia quoque invenitur, τραγῳδιοδιδάσκαλος apud Lucianum Tom. VIII. 31. ed. Bip. (Tom. III. 126. ed. Reitz.), minime suspecta; quae vero apud Scholiastam Aristophanis l. l. antea legebatur, τραγῳδιδάσκαλος, nulla est atque ab interpretibus iam emendata.

Alexandrinorum tragoedia non antiquae atticae imaginem praebuit imitatione expressam: in Graecia enim haud multo post Euripidem tragoedia prope consenuerat, quare non inde potuit Alexandriam transferri, sed ab ipsis Alexandrinorum poetis debuit restitui vel quasi denuo inveniri. Ad bene colendam augendamque artem dramaticam sacra illa Bacchi certamina per eximiam regum Alexandriae munificentiam instituta plurimum valuere. Habuit igitur ea haud dubie suam indolem: habuit profecto sua vitia, verum etiam suas virtutes; qualia autem haec omnia fuerint, id semper nobis erit incertum, neque scio an non illud a Langio paulum inique factum sit, quod in Vindiciis Tragoediae Romanae p. 16. Ale-

xandrinorum poetarum *artes* vocavit *male ingeniosas*, eosque putavit hic illic tantum quaedam protulisse „optimo ex florentissima aetate tragico non indigna“ [23]): qui enim hic illic nonnulla optimo poeta non indigna protulerit, eum non ex pessimis fuisse poetis oportet. — Imaginem illorum poetarum tragoediae suspicari nos licet Annaei Senecae tragoediis expressam habere partim ex eo qui Romae tunc temporis mos obtinebat, non antiquos illos Graecorum scriptores imitandi, sed longe posteriores et quidem Alexandrinos, partim ex magna inter illos tragoediae romanae principes et Senecam dissimilitudine — quam quidem Niebuhrii Viri Illustrissimi hac de re sententiam esse, tum publice hunc Virum dicentem audivi, tum privatim ea qua solet humanitate me ipsum docuit interrogantem.

C. ANAPAESTICI VERSUS.

A Gellio huius generis versus Aetoli de Euripide Anaxagorae discipulo servati sunt, ut vulgo legebantur, quinque, a Valckenario ita comparati ut modo tres inde exstiterint. Narratur his versibus Euripidem ipsum admodum severum ac vultu parum hilari fuisse, scripta autem eius haud minus dulcia melle et cantu Sirenum. Suspicari licet istos versus in comoedia nescio quo nomine inscripta fuisse, non vero eius-

---

23) Naekii Schedae Criticae p. 29.

modi, in qua Euripides ut ab Aristophane irrisus fuerit, sed fortasse defensus a cavillationibus Euripidi ab Aristophane factis (frg. VI.).

Huc referenda videntur ea quae Aristophanis Scholiastes de Alexandro testatur, dixisse eum ὅτι λαχανοπώλιδος υἱὸς ἦν ὁ Εὐριπίδης (frg. VII.).

D. PHLYACES.

Suidas voc. Φλύακες: Σωτάδης ἔγραψε φλύακας ἤ τοι κιναίδους, διαλέκτῳ ἰωνικῇ· καὶ γὰρ ἰωνικοὶ λόγοι ἐκαλοῦντο οὗτοι. ἐχρήσατο δὲ τῷ εἴδει τούτῳ Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλὸς καὶ ἕτεροι. Conf. Strabo lib. XIV. p. 648.

Nihil de his poetae nostri carminibus nobis servatum est: quale igitur fuerit hoc genus, longiori disputatione comparatis de eo scriptorum testimoniis debet investigari. Nimirum duo inter graecarum fabularum genera commemorantur, quae quomodo inter se differant quidque commune habeant, propter varia et ut videatur diversa veterum scriptorum de iis testimonia multum a viris doctis est disputatum, nondum certis argumentis diiudicatum: dico φλυακογραφίαν et ἱλαροτραγῳδίαν vel ἱλαρῳδίαν, quae tamen duo posteriora ipsa paulum inter se differunt; sed de hoc discrimine postea: nunc iam de φλυακογραφίᾳ et ἱλαροτραγῳδίᾳ videbimus, quae alii dicunt esse diversa, alii unum idemque genus conficere. Ea omnia ludicri argumenti fuisse, vix opus est ut com-

memoretur. Primum audiendus est Suidas voc. *Ῥίνθων*, quem dicit *ἀρχηγὸν τῆς καλουμένης ἱλαροτραγῳδίας, ὅ ἐστι φλυακογραφία*, unde collegeris *φλυακογραφίαν* et *ἱλαροτραγῳδίαν* esse genus unum idemque. Ex eodem vero Suida voc. *Σωτάδης Κρὴς Μαρωνείτης* tertium genus cognoscere nobis videmur, *κιναιδολογίαν* sive *κιναιδούς*, qua quidem voce Suidas videtur *τοὺς φλύακας* interpretari, quod tamen genus est ab *ἱλαροτραγῳδίᾳ* longe diversum. Si igitur *ἱλαροτραγῳδία* esset *φλυακογραφία, φλυακογραφία* autem *κιναιδολογία*, etiam *ἱλαροτραγῳδία* esset *κιναιδολογία*, quod nemini unquam potest in mentem venire. Strabo enim lib. XIV. p. 648, quem locum postea accuratius pertractabimus, *τὸ κιναιδολογεῖν* dicit ortum esse ex imitatione *τῶν παρὰ τοῖς κιναίδοις διαλέκτων*, et Aristoxenus apud Athenaeum lib. XIV. p. 621. c. hilarodiam [24]) docet proximum gravitatis locum post tragoediam obtinere, deinde postquam de cinaedologis multum locutus est, horum atque hilarotragoedorum differentiam Athenaeus claris his verbis testatur: *σεμνότερος των τοιούτων* (*κιναιδολόγων*, Alexa, Sotade Maronite, aliis) *ἐστὶ ποιητῶν ὁ ἱλαρῳδὸς καλούμενος· οὐδὲν γὰρ σχινίζεται.* In eodem libro p. 621. c. hilarodum dicit Athenaeus corona donari solitum fuisse, quo in loco id animadvertendum est, scriptorem et actorem huiusmodi fabularum voce *ἱλαρῳδὸς* saepe confundi, quod nobis pro nostra

---

[24]) Athenaeo eadem est quae *ἱλαροτραγῳδία*.

quaestione nullius momenti est; τὸ σχινίζεσθαι vero quod dicit magodi atque cinaedologi esse, non hilarodi, refert inter ea, quae ἔξω κόσμου sint. Postremo denique Strabo l. l. τοῦ κιναιδολογεῖν principem Sotadem esse dicit, ἱλαροτραγῳδίας vero Suidas Rhinthonem. — Itaque vidimus ex illis locis minime apparere duo illa genera neque eadem esse et in unum redigenda, neque diversa, sed tria nos nomina habere, quibus quae genera significentur nobis quaerendum est. Meam ipsius hac de re opinionem nunc iam proponere liceat, addam deinde argumenta.

Equidem opinor φλυακογραφίαν vel φλύακας, et ἱλαροτραγῳδίαν vel ἱλαρῳδοὺς neque eadem esse, neque diversa, sed ἱλαροτραγῳδίαν et κιναιδολογίαν varia duo genera esse φλυακογραφίας, vel potius duas partes ἱλαροτραγῳδίαν et κιναιδολογίαν uno genere φλυακογραφίᾳ contineri. Hilarotragoediam et cinaedologiam diversas fuisse iam ex Athenaei loco laudato apparet: qualis vero natura fuerit hilarotragoediae, intelligere licet ex Stephano Byzantio voc. Τάρας, et Eustathio ad Dionys. Perieg. 976. Stephanus de Rhinthone sic loquitur: καὶ Ῥίνθων Ταραντῖνος φλύαξ, τὰ τραγικὰ μεταῤῥυθμίζων ἐς τὸ γελοῖον. Eustathii verba haec sunt: ἐκεῖθεν δὲ (Tarentinus) καὶ Ῥίνθων ἦν, ὁ ἐπικαλούμενος φλύαξ, ἤγουν φλύαρος ὑποκοριστικῶς, ὡς τὰ τραγικὰ εἰς γελοῖα μεταῤῥυθμίζων καὶ παίζων ἐν οὐ παικτοῖς, ἀλλὰ φλυαρῶν ἄντικρυς. Eustathius eandem quam Stephanus expressit sententiam, sed paullo accuratius addita particula ὡς, qua id profecto significatur, φλύακα Rhinthonem nominatum

fuisse propterea quod tragoediarum argumenta vel tragicas res in comoediis suis irriserit, sive tragoedias in comoedias converterit: tragoedia tali modo in comoediam conversa dicebatur *ἱλαροτραγῳδία*, quod Suidas aperte indicavit, qui Rhinthonem hilarotragoediae principem eundemque comicum dicit: *Ῥίνθων κωμικὸς ἀρχηγὸς τῆς καλουμένης ἱλαροτραγῳδίας, ὅ ἐστι φλυακογραφία*, et deinde: *δράματα δὲ αὐτοῦ τραγικὰ καὶ κωμικὰ λή*. Verba *ὅ ἐστι* non ita interpretanda videntur, quasi *φλυακογραφία* et *ἱλαροτραγῳδία* unum idemque sit genus; sed explicationis causa videntur addita esse, ut nos admoneremur *ἱλαροτραγῳδίαν* genus quoddam esse *φλυακογραφίας*. In eandem illam de natura hilarotragoediae sententiam redit etiam Athenaei locus laudatus, ubi Aristoxenus dicit *τὴν μὲν ἱλαρῳδίαν σεμνὴν οὖσαν παρὰ τὴν τραγῳδίαν εἶναι*; et probatur ea etiam nominibus quae Rhinthonis fabularum traduntur, Amphitryo, Hercules, Orestes, Telephus, Iphigenia in Tauris, Iphigenia in Aulide.

Quod de hilarotragoedia vidimus, hoc idem de cinaedologia mox apparebit, eam nimirum partem esse s. genus quoddam *φλυακογραφίας*. Suidas enim voc. *Σωτάδης Κρὴς* testatur Sotadem scripsisse *φλύακας ἤ τοι κιναίδους διαλέκτῳ ἰωνικῇ*. conf. Suidas voc. *φλύακες*. Etiam hoc loco verba *ἤ τοι κιναίδους* non significant Suidae *φλύακας* et *κιναίδους* unum idemque genus visum fuisse, sed explicandi vim habent atque accuratius docent, quales *φλύακας* ille Sotades scripserit, sc. *κιναίδους*, et ionica quidem dialecto, id

quod etiam Athenaeus testatur lib. XIV. p. 620. e. et lib. VII. p. 293. a, ubi nostrum Sotadem ipsa ionica dialecto ab alio mediae comoediae disiungit.

Hoc igitur satis mihi videor comprobasse et κιναίδους et ἱλαρῳδοὺς vel ἱλαροτραγῳδοὺς fuisse φλύακας, et hos quidem σεμνοὺς φλύακας, illos ἀσέμνους. Φλύαξ est vocabulum commune atque totum illud parodicum, quod etiam comicum dixeris, dramatis genus complectitur, quod Vossius qui totam rem parum perspexerit, lib. II. Instit. poet. c. 21. §. 2. haud satis accurate expressit his verbis:" — cogitare oportet, vocem φλύακος interdum laxius sumi, ut tum ἱλαρῳδοῖς conveniat, tum κιναιδολόγοις. ἱλαρῳδοὶ si cum tragicis poetis conferantur, vere φλυάσσουσι h. e. *nugantur*. At si compares cum comicis et praesertim cum μαγῳδοῖς, σεμνοὶ ac graves sunt. Quare si proprie presseque loqui volumus, φλυακογράφοι et κιναιδολόγοι differunt gravitate; hi vere sunt mimi, illi non item". Haec omnia minus bene dicta esse, ac tale discrimen, quale fecit, inter φλυακογράφους et κιναιδολόγους immerito Vossium statuisse, ex iis quae supra disputavimus satis apparet. Ceterum φλυακογράφοι quidem non sunt mimi: φλύακες vero (qua voce vidimus etiam scripta significari) et mimi vel actores sunt et scriptores; etiam ex Athenaeo lib. XIV. p. 620. f. nobis compertum est Phlyaces Italis eosdem fuisse, quos Lacedaemonii δικηλιστὰς i. e. ὑποκριτὰς nominaverint, Sicyonii φαλλοφόρους, Thebani ἐθέλοντας. Sed redeamus ad id quod nobis propositum est: iam ipsa significatio

Digitized by Google

vocabuli φλύαξ indicat hoc nomen universi cuiusdam scriptorum generis esse, cuius veri simillimum est multas fuisse varias partes, nos duas tantum certe cognovimus, κιναίδους et ἱλαρῳδούς, quare utrique, et κίναιδοι et ἱλαρῳδοί, ubi a scriptoribus laudati sunt, non re vera his nominibus appellantur, sed semper φλύακες; ista nomina etiam talia sunt, quibus haud dubie non universum genus quoddam significatum sit; φλύαξ, et scriptoris et scripti nomen, idem est quod φλοίαξ: utrumque derivatur a φλέω, φλοίω, φλύω i. e. abundo, quod primum transfertur ad eum qui verbis abundat, qui garrulus, φλύαρος est; et garrulus plerumque levibus verbis abundat sive ineptis aut ita comparatis, ut risus iis commoveatur, quare Hesychius vocabulum φλύαξ interpretatus est γελοιαστής: ex hac vero significatione apertum fit non obscoeni quidquam esse in ipso verbo φλυακογραφία, sed posse tantum esse φλυακογραφίας, quae sint obscoenae, quas nominare liceat κιναιδολογίας. conf. Henricus Stephanus thes. gr. ling. Tom. IV. p. 171. sq., et Schweighaeuserus ad Athen. III. p. 86. a., cui propter communem utriusque vocabuli fontem id nequeo assentiri, quod φλύαξ dicit unice veram esse scripturam. conf. frg. XI. 8. De origine τοῦ κιναιδολογεῖν gravissimus et fere unicus locus Strabonis est lib. XIV. p. 648: Κλεόμαχος ὁ πύκτης, ὃς εἰς ἔρωτα ἐμπεσὼν κιναίδου τινὸς καὶ παιδίσκης ὑπὸ κιναίδῳ τρεφομένης ἀπεμιμήσατο τὴν ἀγωγὴν τῶν παρὰ τοῖς κιναίδοις διαλέκτων καὶ τῆς ἠθοποιΐας· ἦρξε δὲ Σωτάδης μὲν πρῶτος τοῦ κιναιδο-

λογεῖν· ἔπειτα Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλός· ἀλλ' οὗτοι μὲν ἐν ψιλῷ λόγῳ, μετὰ μέλους δὲ Λύσις καὶ ἔτι πρότερος τούτου ὁ Σῖμος. Gravissimum dixi hunc locum esse; nec tamen omnino dignus est cui fides habeatur: fingebant enim fortasse, non dixerim Strabo, sed eo priores, talem huius rei originem, cuius quidem rei certa quaedam origo ignota, et ut mihi quidem videtur, non necessaria erat: cinaedicus hic sermo fortasse sua sponte ortus est, ita tamen ut Sotades imitando eum in carminis formam primus redegerit, atque idcirco, veluti Theocritus bucolici carminis, princeps et inventor sit appellatus [25]). Id vero Strabonis loco docemur argumenta carminum cinaedicorum obscoena fuisse, quod etiam ex noto illo Sotadis in Philadelphum versu apparet:

εἰς οὐχ ὁσίην τρυμαλιὴν τὸ κέντρον ὠθεῖς.

Fabricius in Bibl. gr. II. p. 495. voc. Σωτάδης „mirum est, inquit, Strabonem videri adfirmare, quod Sotades et Alexander Aetolus scripserint non versu, sed prosa oratione, quum alii veteres contrarium innuant et Demetrius de elocutione §. 193. (lege §. 189.) Sotadi ἄσεμνον quidem et κεκλασμένον, sed tamen tribuat μέτρον. Gyraldus vero verba Strabonis κατὰ μέλους ita intellexit, quod cantum addiderint Simus et Lysis, at Sotades et Alexander modo recitaverint

---

[25]) Diogenis locus ep. XI. — γάλλους καὶ κιναιδολόγους — huc minime pertinet: ibi enim obscoeni homines intelliguntur, quos Juvenalis in Sat. II. 99. et IX. 130. *pathicos* dicit.

cinaedica sua poemata.“ Gyraldi coniecturam, qui diversa haec scriptorum testimonia inter se conciliare conatus est, probari minime posse iam apparet ex Athenaeo lib. VII. p. 293. a, ubi Sotades noster appellatur ὁ τῶν ἰωνικῶν ᾀσμάτων ποιητής: cantabantur etiam Sotadea. Neque vero ψιλὸς λόγος poeticam significare potest orationem, sed prosam tantum: conf. Aristot. de art. poet. I. §. 7. ibique Hermannus; et verbis μετὰ μέλους Strabo haud dubie nil nisi poesin voluit intellectam. Strabonis igitur hac de re testimonium ab aliis scriptoribus re vera diversum est: Athen. VII. p. 293. a. XIV. p. 620. e. Ad expediendam hanc difficultatem aptissime conferatur Demetrius de elocutione §. 189. a Fabricio laudatus, quippe qui Sotadea quae dicuntur metris quidem scripta fuisse diserte testetur, sed metris κεκλασμένοις καὶ ἀσέμνοις, duobus additis eorum exemplis:

σκῆλας καύματι κάλυψον·

et

σείων μελίην πηλιάδα δεξιὸν κατ' ὦμον

ἀντὶ τοῦ

σείων πηλιάδα μελίην κατὰ δεξιὸν ὦμον.

Similis est laudatus ille Sotadis versus. Demetrio quidem et Athenaeo, qui testes in eiusmodi rebus maxime sunt locupletes, haud dubie credi oportet: Straboni autem illa in re quasi obiter tantum versato Sotadica metra aliorum metrorum dissimilia non metra, sed soluta oratio esse videbantur. Sotades totam Iliadem in metrum peculiare converterat,

unde illa Demetrii exempla petita sunt. Quintilianus Instit. or. I. c. 8. caesuras, quae in Sotadeis crebrae inveniebantur, commata contemtim nominavit. Sotadea plerumque ita scripta fuerunt, ut ea et retro et porro legere posses. Hac de re audiendi sunt Martialis VI. 86:

nec retro lego Sotadem cinaedum.

et Ausonius:

σωταδικόν τε κιναιδόν ἰωνικὸν ἀμφοτέρωθεν.

Quintil. Instit. or. IX. c. 4.: „memini quendam non ignobilem poetam ita lusisse:

astra tenent coelum, mare classes, area messem;

hic retrorsum fit Sotadeus." Reliqua de Sotadicis metris vide ap. intpp. Quintil. ll. ll.; Hermann. in elem. doctr. metr. p. 444 sqq. 451. sq.; Serv. ad Virg. p. 18. 19.; conf. Marius Vict. p. 1824. 2530; Diomedes p. 515; Suidas voc. *Σωτάδης Κρ. Μ.*, ubi Sotades *ἰαμβογράφος* appellatur. Iliadis eius mentio fit ab Hephaestione c. II. §. 5.

De cinaedologia et hilarotragoedia quaeri etiam potest, utra prior vel recentior sit, an eodem fere utraque tempore orta. Rhinthon, hilarotragoediae princeps, Suida testante, *γέγονεν ἐπὶ τοῦ πρώτου Πτολεμαίου*, unde tamen id minime colligi potest eum Philadelpho regnante non amplius vixisse. Sotadem vero, qui *ἦρξε πρῶτος τοῦ κιναιδολογεῖν* (Strab. XIV. p. 648.), Plutarchus de educ. liber. c. 14., Athenaeus lib. XIV. p. 620. e. et Eustathius ad Il. XVI. 432. Philadelphi temporibus floruisse testantur, ita tamen, ut eum non iam antea litteris et poesi

operam dedisse contendi non possit: quamobrem alterutram illarum poesis formarum priorem fuisse minime pro certo statuere licet, quamquam suspicari possumus, hilarotragoediam prius quam cinaedologiam in poeticam suam formam redactam fuisse. Sin vero rem ipsam respexeris, putabis fortasse, si non prius κιναιδολογία orta, deinde etiam tragoedia in ridiculum detorta sit, certe hilarotragoediam et cinaedologiam iuxta prope ortas fuisse. Paullatim utramque exstitisse, nemo infitiabitur: universum vero φλυάκων genus, sive alias eius partes perantiquas fuisse veri simillimum est.

Restat ut de singulis huius generis scriptoribus quantum ad nostram quaestionem aptum videatur, et quidem de praecipius eorum pauca dicamus.

Sopater ὁ φλυακογράφος ab Athenaeo pluribus locis laudatur, nusquam vero aut cinaedologi nomine, aut hilarodi. Appellatur nonnunquam parodus et per parodicas quae traduntur eius fabulas fieri existimo, ut hilarodum fuisse eum liceat suspicari. *Parodum* vero eundem esse qui φλυακογράφος ex Athenaeo apparet, qui Sopatrum eiusdem fabulae (Πύλαι)' scriptorem lib. IV. p. 175. c. appellet *parodum*, et lib. XIV. p. 649. a. *phlyacographum*. Patria Paphius fuit [26]), quare iocose apud Athenaeum lib. IV. p. 158. d., ubi de lentibus sermo est, dicitur ὁ φάκιος παρῳδός, fortasse *capta occasione a fabula, cui titulus* Φακῆ. Hunc Sopatrum parodum Suidas a comico seiungit;

[26]) Athen. III. p. 119. a. IV. 175. c.

sed Sopater comicus et parodus est unus idemque: quibus enim in fabulis Athenaeus laudat parodum, easdem Suidas voc. *Σώπατρος Κωμικὸς* affert. Sopatri fabulas vide in Schweighaeuseri indice ad Athenaeum. Tres vero inter Sopatri fabulas ab Athenaeo laudantur, *Βακχίς* lib. IV. p. 158. d., p. 176. a. (quam etiam Suidas, et eam quidem unicam, parodo concedit), *Βακχίδος Μνηστῆρες* lib. IV. p. 160. a. b. l. XIV. p. 644. c., et *Βακχίδος γάμος* l. XIV. p. 656. f., quas equidem suspicor, sed suspicor tantum! trilogiam fuisse, qua Sopater antiquos trilogiarum poetas irriserit; fortasse etiam tria nomina unius fabulae sunt.

Rhintho, hilarotragoediae princeps, testibus Suida, Stephano Byz. voc. *Τάρας*, Hesychio voc. *Ἄσεκτος*, Eustathio ad Dion. Perieg. 976. fuit Tarentinus atque usus est, testante Apollonio Dysc. de pronom. p. 364. c., Tarentina dialecto; contra omnes unum est Nossidis epigramma in Brunckii Anal. I. p. 196, ubi haec verba leguntur:

Καὶ καπυρὸν γελάσας παραμείβεο καὶ φίλον εἰπὼν
Ῥῆμ' ἐπ' ἐμοί Ῥίνθων εἰμ' ὁ Συρακόσιος.

Sed huiusmodi epigrammatis parum videtur tribuendum esse auctoritatis, quanquam id non omnino negari potest, eum Syracusis natum postea Tarenti vixisse, unde Tarentini nomen acceperit: mirum autem esset, hoc reliquis de eo testibus aut ignotum aut ab iis omissum fuisse. De aetate eius Suidae testimonium iam audivimus; hic idem testatur triginta octo *δράματα τραγικὰ καὶ κωμικὰ* Rhinthonis fuisse: fortasse plura fuerunt.

Fabula Rhinthonica inter varia fabularum genera commemoratur in Donati fragmento de Tragoedia et Comoedia et in eiusdem Commentario ad Terentii Adelphos Prol. v. 7. Lydus de Magistrat. Rom. lib. I. §. 40. Rhinthonicam in septem Comoediae genera refert eamque ἔξωτικὴν appellat. Gisbertus Cuperus (Observatt. l. I. c. 10.) *Rhinthonis Hilatragoediam sive Phlyacographiam* dicit *neque cantatam olim aut saltatam, nedum actam fuisse, neque adeo omnino in Dramatum numero habendam, sed accedere ad Gallorum Vers burlesques, sive Italica voce dicere malis, Travestimenta,* nulla fortasse alia causa commotus, nisi quod Lydus l. l. §. 41. Rhinthonem dicit primum hexametris versibus comoediam scripsisse[27]. Contra Cuperum primum sunt Suidae verba modo laudata; deinde Reuvensius in Collectaneis Litterariis p. 80. sqq. magna cum probabilitate Lydum errasse docuit illa dicentem, Rhinthonem dramata scripsisse metris dramaticis. Contra illam Cuperi sententiam disputavit etiam Eichstaedtius de Dramate Graecor. Comico-Satyrico p. 43. sqq. De fabula Rhinthonica conf. Vossius Instit. Poet. l. II. c. 21; Grysar de Doriens. Comoed. Tom. I. p. 53. sqq. Rhinthon dramatum quae scripsit non nova sibi sumserat argumenta, sed aliorum tragoedias in ridiculum detorsit et in comoedias quasi convertit, quae ita comparatae *ἱλαροτραγῳδίαι* nominabantur. De metris

---

27) — *τὸν Ῥίνθωνα, ὃς ἐξαμέτροις ἔγραψε πρῶτος Κωμῳδίαν.*

Rhinthon. conf. Osann. Anal. Crit. p. 96. sqq. O. Müller. *Gesch. Hellen. Stäm. u. Städte* III. p. 364. sq. Ceterum „ab ἱλαρῳδίᾳ sic distinguendam videri ἱλαροτραγῳδίαν docuit Osannus, ut licet utriusque argumentum mere ludicrum fuerit, atque hilaritate iocorum et lascivis dictis risum populo excusserit, in ἱλαροτραγῳδίᾳ tamen virtus comica ab argumentis tragicis peteretur, quae ex cothurno in soccum detorta cum parodia irriderentur. Utramque vero, et ἱλαρῳδίαν et ἱλαροτραγῳδίαν, in scenam deductam et cum saltatione i. e. gesticulatione et actione mimica decantatam fuisse, veri simile fit". Hilarodi non ex veris tragoediis eas irridendi causa, sed aliunde, ex vita solebant argumenta repetere, et ea quidem amatoria, convivalia et quae horum similia sunt: Festus voc. *Hilarodos* id carminum genus *lascivum et delicatum* appellat, quae definitio in bonam partem accipienda laudatae illi σεμνότητι minime repugnat. De hilarodo et hilarodia conf. inprimis Athen. XIV. p. 621.; Salmasii Exercit. Plin. p. 76.; Voss. Inst. Poet. l. II. c. 21.; ἱλαρῳδία et ἱλαροτραγῳδία saepe scriptoribus etiam nullo discrimine facto confunduntur.

Sotades Maronita, ionicarum cantilenarum poeta, Philadelphi aequalis, ἦρξε πρῶτος τοῦ κιναιδολογεῖν, ionica usus dialecto; diversus est a Comico Sotade, cuius ab Athenaeo duae fabulae laudantur, Ἐγκλειόμεναι et Παραλυτρούμενος. Suidas comicum hunc et nostrum confudit, quum istas duas fabulas nostro Maronitae tribuerit: sed Athenaei testimonium magis quam Suidae dignum est cui fidem habeamus. Neque

Digitized by Google

vero intelligo qua ratione Sotades Cretensis idemque Maronita Suidae nominetur. Fortasse Comicus ille fuit Cretensis, quem Suidas quia non a nostro disiunxit, duos, quos unum putaverit, uno nomine complexus est *Κρὴς Μαρωνείτης*. Suidas voc. *Σωτάδης Κρ. Μ.* enumerat Sotadis fabulas: *εἰσὶ δὲ αὐτοῦ εἴδη πλεῖστα· οἷον, Εἰς ᾅδου κατάβασις· Πρίηπος· Εἰς Βελεστίχην· Ἀμαζὼν καὶ ἕτερα. καὶ Ἐγκλειόμεναι καὶ Παραλυτρούμενος.* De duabus proximis iam dictum est; ex reliquis vero quae Comici sint, quae Moronitae, certis argumentis iudicari non potest, attamen suspiceris reliquas omnes Maronitae fuisse, quippe quae verbis *καὶ ἕτερα* ab illis separatae sint: nimirum fortasse ipsi Suidae inter utrasque videbatur esse discrimen, quanquam a scriptore profectas eodem. — Sotades regem propter eius cum sorore matrimonium versibus acerbissime cavillatus est et huius rei poenas Philadelpho graves persolvit (Plutarch. de educ. liber. c. 14.), quae res apud Athenaeum l. XIV. p. 620. e. et Eustathium ad Il. π. 432. in fabulam abiit, Sotadem in cista plumbea inclusum et in mari demersum esse. — Illud postremo mirum videatur, quod Straboni Sotades prior Alexandro Aetolo sit, Athenaeo autem Sotade Alexander: Strabo enim l. l. dicit *ἦρξε δὲ Σωτάδης μὲν, — ἔπειτα Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλός —* Contra Athenaeus l. XIV. p. 620. e., *ὁ δὲ ἰωνικὸς λόγος τὰ Σωτάδου καὶ τὰ πρὸ τούτου ἰωνικὰ καλούμενα ποιήματα Ἀλεξάνδρου κ. τ. λ.* Uterque, Sotades et Alexander eodem rege regnante vixerunt, quare alter alter longe posterior certe non fuit; sed Stra-

bonis illum locum Athenaeo ignotum fuisse credi non potest: equidem suspicor Athenaei verba *πρὸ τούτου* non ad *Σωτάδου* referenda esse, sed ad *ἰωνικὸς λόγος*, atque interpretanda sive *pro ionico sermone dicta ionica carmina*, s. *propter* vel *secundum ionicum sermonem dicta ionica carmina*.

Praeter hos quatuor, Sopatrum, Rhinthonem, Sotadem et Alexandrum qui reliqui *φλυακογράφοι* s. *φλύακες* a scriptoribus laudantur, eos breviter liceat et sufficiat enumerare: Lysis, Simus Magnes (Strab. l. l.); Pyres Milesius (Athen. l. l.), profecto idem qui Suidae l. l. dicitur *Πυῤῥὸς ὁ Μιλήσιος*; Alexas (Athen.); Theodoras, Timocharidas, Xenarchus (Suid. l. l.), et si Reuvensii (Collectan. Litterar. p. 69.) coniecturam in Lydo de Magistrat. Rom. l. I. §. 41, *Φλυακογράφων* pro *Πυθαγορείων*, probaveris, Asceras quoque (Sciras, Athen. l. III. p. 77.) et Blesus.

Fortasse etiam Timo Phliasius *ὁ σιλλογράφος* huc referendus est, quanquam inter phlyacographos nusquam nominatur: Silli enim a *φλυακογραφίας*, cuius generis variae erant partes, omnia irridentis et cavillantis natura minime abhorrebant.

E. EPIGRAMMATA.

Epigrammatici carminum generis maxime poetae Alexandrini studiosi fuerunt, neque ullus fortasse fuit eorum, qui non epigrammata scripserit: nec vero tunc temporis ut olim statuae modo, sepulcra, templa deorum, cuiusvis generis dona diis consecrata, et

aliae quae res publice conspicuae sunt, epigrammate inscribi solita erant, sed cogitata quoque hominem certum quendam facete vel irridendi vel honorandi gratia in epigrammatum formam redigebantur. Epigrammatum eadem quae aliorum generum illa aetate indoles fuit: poetae enim omissa priore nitida simplicitate facetiorem quandam elegantiam sectabantur.

Alexandri nostri epigrammata quatuor servata habemus, tria in Anthol. Gr., quartum ab Athenaeo, quorum omnium argumenta maxime varia sunt, amatorium nullum. Meleager coronae suae epigrammatum intexuisse se Alexandri quoque, haud dubie Aetoli, epigrammata ut *virides olei ramos* testatur praefat. v. 39:

τοὺς δ' ἅμ' Ἀλεξάνδροιο νέους ὅρπηκας ἐλαίης.

Alexandri primum est *in Panem* (frg. VIII.), quod simplicitate sua videtur omnium iucundissimum esse, alterum *in Venerem armatam* (frg. IX.), in Anthologia ipsa inscriptum *Εἰς Ἀφροδίτην ὡπλισμένην*; tertium *in Alcmanem*, ipsum in eo de se ipso loquentem (frg. X.); quartum, quod Fabricius Vol. IV. p. 460. *epigramma in Agathoclem* nominavit, alii dixerunt fragmentum elegiaci carminis esse, quo parodiae historia quaedam exposita fuerit, procul dubio inscribendum est *epigramma in Boeotum*, parodiarum poetam (frg. XI.). Quamvis enim Athenaeus l. XV. p. 699. b. c. de isto carmine dicat, Alexandrum ἐλεγεῖον fecisse, tamen eiusdem ipsius Athenaei verba videntur satis docere, non re vera elegiacum carmen intelligi, sed epigramma: si enim decem ab Athenaeo

traditi versus totum carmen conficiunt, concedendum erit epigramma esse, non elegiam. Alexander his versibus, nam haec est Athenaei sententia, parodos docuit apud Siculos in existimatione quadam fuisse, *ποιήσας ἐλεγεῖον τρόπον τοῦτον δηλοῖ*, quae quidem verba merito suspicari nos iubent hoc totum *ἐλεγεῖον* esse, quo illa res contineatur: si maioris tantum pars carminis esset, inde non efficeretur id quod voluit Athenaeus, omnes parodos in existimatione apud Siculos fuisse, sed modo Boeotum; sin vero carmen perfectum atque integrum est, Athenaeus facile potuit contendere, uno Boeoti exemplo comprobari omnium illam apud Siculos parodorum existimationem. Nec vero Alexander historiam scripsit parodici generis, cuius praestantissimi poetae ipsa illa aetate floruerunt, et si re vera historiam horum poetarum scripsisset, valde vereor, ut Aetolus elegia id facturus fuisset. Vocabulum *ἐλεγεῖον* quo usus est Athenaeus integrum carmen significat elegiacis versibus scriptum, neque amplius quidquam Athenaeum existimo, aut elegiam esse, aut epigramma, isto vocabulo indicare voluisse. Primum Simonidis lugubria carmina, epitaphia, sic nominabantur; sensim deinde alia quoque epigrammata, et omnia *versibus impariter iunctis* composita carmina singulaque disticha [28]), formae tantum habita ratione, isto nomine coepta sunt appellari. Quam Latini dicunt elegiam, ea Graecis plerumque dicitur plur. num. *ἐλεγεῖα* vel *ἔλεγοι*, nonnumquam etiam *ἐλεγεία*. Nostrum epi-

---

28) Thuc. I. 132. Pausan. V. 2. 5.

gramma videtur epitaphium fuisse Boeoti ab Agathocle Syracusis patrio oppido expulsi et fortasse in Aegypto sepulti. Dices fortasse, neque initium carmen habere, nec finem, ergo integrum epigramma non esse. Initium quidem facili coniectura mihi videor integrum restituisse; exitus vero epigrammati aptissimus est: non enim propter Euboei mentionem obiter ut videtur factam plura de eo exspectare debemus; Euboeus tunc temporis haud dubie satis cognitus fuit, et est re vera hoc epigrammatis, ut in eo breviter omnia, multa etiam parum dilucide commemorentur. Si carmen historicum esset, a Boeoto ad Euboeum transitus talis qualis est admodum foret ineptus. Etiam illud bene factum videtur quod nomen Boeoti usque ad finem carminis reservatum est. Ab initio carminis Agathocli tyranno id quasi exprobratur, quod Boeotum animi sui ferocitate patria expulerit, et extremo carmine poetam, si qua divinatione uti licebit, in Euboeum invehi propterea suspicor, quod Agathocles istum poetam illo expulso longe inferiorem secum in Sicilia retinuerit. Schweighaeuserus in ind. ad Athen. voc. *Boeotus* videtur nobis hac de re consentire, quum dicit, Boeotus laudatur ab Alexandro Aetolo in epigrammate et praefertur Euboeo.

F. ELEGIACA.

Ex elegiaco carminum genere maxima pars fragmentorum est, quae poetae nostri supersunt: nimirum duo fragmenta, unum *Apollinis*, quod versibus 34.

constat, in Parthenii eroticis, alterum septem versuum ex Musis a Macrobio, servata habemus. In carmine, quod Ἀπόλλων inscribitur (frg. XII.), fabulae amatoriae, et eae quidem fortasse hominum nonnisi ut in fragmento est misere amantium, ab Apolline vaticinando videntur expositae fuisse; nec vero, quantum ex nostra servata colligere possumus, tam immodestae, ut iudicium hac de re prorsus iniquum in Daubii et Creuzeri Studiis [29]) prolatum ego possem probare. Fragmento nostro Anthei fabula ut fuit apud ipsum Alexandrum tota haud dubie continetur. — Etiam qui *Musae* inscribitur liber (frg. XIII.) haud parvus videtur fuisse: aut enim Timothei tantum historia in eo copiose narrata erat, qui quoniam sui temporis inter peritissimos artis musicae fuit, carmini nomen quoque Musarum inscribere Alexandro placebat; aut quod veri similius est plures de claris poetis atque aliis qui Musarum artes coluerunt, narrationes eo continebantur. Fabricii errorem, qui ex Musis Aetoli petitos putaverit versus de planetis, quos edidit Galeus ad Parthenium p. 149. sqq., Naekius iam notavit in Schedis Crit. p. 8: illi de planetis versus heroici sunt, carmen Aetoli quod *Musae* inscribitur, elegiacum fuit; deinde eos omnino non Aetoli, sed Alexandri Ephesii esse, Cosmographiae scriptoris, idem Naekius l. l. doctissime

---

[29]) Vol. IV. p. 66: *„ein Unternehmen, welches außer Lykophrons Cassandra kaum seines Gleichen finden möchte.“*

ac locupletissime comprobavit. — In Addendis ad Parthenium etiam ille Galeus egregie erravit accepto Alexandro Magno pro Alex. Aetolo: dicit enim „a Ioachimo Camerario inter Homeri interpretes hunc quoque Alexandrum recenseri". Camerarius autem in praefatione editionis Homeri „maximos et potentissimos quoque reges in Homeri operum commentationibus elaborasse, Alexandrum illum, cui rerum gestarum admirabilitas Magni nomen conciliaverit, haec plane in deliciis habuisse" et alia de Alexandro M., de Aetolo nihil. Simili modo, quod a Naekio in Schedis Criticis p. 7. notatum est, Harlesius ad Fabricii B. G. II. p. 283. *humani aliquid passus est confuso cum nomine poetae nostri nomine fabulae Euripideae: nam de Alexandro Euripidis dramate agit Valck. Diatr.* 147. *sq.*.

Reliqui poetae nostri versus elegiaci tres inveniuntur de Mysis apud Strabonem, qui cuiusnam et qualis elegiaci carminis particula fuerint, exquiri non potest (frg. XIV.).

G. EPICA.

Ex epico genere duo poetae nostri carminum nomina et fragmenta cognovimus, quorum unum inscribitur Ἁλιεύς (frg. XV.), cuius fragmentum ab Athenaeo servatum *eleganti*, ut Naekius Sched. Crit. p. 16. rectissime iudicavit, *et vere antiqua simplicitate in summa brevitate cum ceteris Aetoli reliquiis docet eum altiori quodam sermone scripsisse.* Isto fragmento Glaucus deus marinus herba quadam ex insulis Bea-

torum gustata mari demersus interisse narratur. Alterum *Κίρκα* (frg. XVI.), cuius argumentum ex Odyssea depromtum, ut Callimachus eas Thesei fabulas quae ad Hecalen pertinebant, singulari epico carmine tractavit ex Theseide ut videtur depromtas, quo maiori carmine omnes Thesei fabulae comprehendebantur; eadem ratione duobus carminibus quae inter Theocritea sunt XXIV. (*Ἡρακλίσκος*) et XXV. (*Ἡρακλῆς Λεοντοφόνος*), et Moschi carmine IV. (*Μεγάρα Γυνὴ Ἡρακλέους*) singulae ex Heraclea fabulae sunt enarratae. Id vero de nostro carmine fateri debemus, ab Athenaeo ipso nominari quidem ut scriptorem eius Alexandrum Aetolum, dubitari tamen εἰ γνήσιον τὸ ποιημάτιον, qua in dubitatione nobis acquiescendum erit. Legitur deinde apud Athenaeum non ut nos nomen scripsimus, sed *ἐν Κρικαεῖ*, quod fortasse ortum est e sequenti particula *εἰ* a librario forte duplicata, quare nonnulli etiam *ἐν Κρίκᾳ*. Meursius inscribit *Κρικαιεύς*; Casaubonus putat legendum esse *ἐν Τριταεῖ*, quo nihil prorsus efficitur, vel *ἐν Ἁλιεῖ*[30]), ut idem poema sit, quod modo laudatum est, eo fortasse ad istam coniecturam adductus, quod in duobus versibus qui ex eo servati sunt, *Πομπίλος* piscis commemoratur. Brunckius in Anal. T. III. lectt. et emendd. ad Al. Aet. videtur eam probasse, quum dicat τὸν Ἁλιέα bis ab Athenaeo

30) Casaubonus: „Urbs in Achaia fuit nomine Tritaea; sed non dubito Athenaeum scripsisse *ἐν τῷ Ἁλιεῖ*, ut alibi in hoc libro saepius".

laudari, quem quidam Aetolo tribuerint, alii abiudicaverint. Sed falsam eam esse apparet ex verbis ab Athenaeo additis, εἰ γνήσιον τὸ ποιημάτιον: de *piscatoris* enim scriptore Athenaeus minime dubius fuit. Vera ut videtur emendatio ἐν Κίρκᾳ facta est a Schweighaeusero. In dorica forma, qua ipse profecto usus est Alexander, haereri non debet.

Ex heroicis fuisse carminibus etiam ea videntur, quae dixisse traditur Alexander Aetolus, Hectorem Apollinis filium esse, Argivis Thesei filiam Iphigeniam (frgg. XVII. XVIII.).

II. ASTRONOMICA.

Scripta huius generis Alexandri nulla servata sunt: re vera tamen de stellis aliisque rebus naturalibus eum scripsisse in Arati vita indicem Ἀράτου Γένος habente his verbis docetur: πολλοὶ γὰρ καὶ ἄλλοι Φαινόμενα ἔγραψαν· καὶ Κλεοπάτρης, κ. Σμίνθης, κ. Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλός, κ. Ἀλ. ὁ Ἐφέσιος, κ. Ἀλ. ὁ Λυκαΐτης κ. τ. λ. Alius huius rei testis est Sextus Empiricus l. VIII. c. Log. II. s. 204: ὡσαύτως δὲ καὶ παρὰ τοῖς τὰ οὐράνια πραγματευσαμένοις, καθάπερ Ἀράτῳ καὶ Ἀλεξάνδρῳ τῷ Αἰτωλῷ. „Quod vero inter Arati interpretes Alexander Aetolus enumeratur (vid. supra p. 5.), eo nihil aliud videtur indicari, quam hoc, Alexandrum Aetolum alicubi aliquod de Arato testimonium edidisse. Nec magis quod de Ephesio ibi traditur, de commentario in Aratum intelligendum est, sed de opere ἐμμέτρῳ simili Phaenomenis“ [31]).

[31]) Naekius Sched. Crit. p. 7.

I. HISTORIA.

Singularem quendam historiae et quidem Aetolicae librum Alexandrum scripsisse, quod praeter alios Schweighaeuserus in ind. ad Athen. ex una voce ἱστορεῖ l. X. p. 412. f. — Alexander hic loquitur de Titormo Aetolo — suspicatus est, ego non quidem nego, sed nego aut ex eius reliquiis, aut ex aliorum testimoniis id colligi posse. Schweighaeuserus opinatur hoc verbo *ista* (qua?) ratione non uti solitum esse Deipnosophistam nostrum, nisi ubi de Historiarum aliquo scriptore loquatur. At istud vocabulum non modo solutae orationis historicae vim continet, sed omnes cuiusmodicunque scriptores dici possunt ἱστορεῖν et re vera dicuntur: Parthenio fere ubique ἱστοροῦσι poetae; quod vero gravissimum contra illam coniecturam argumentum videtur, ipse Athenaeus verbi causa l. VII. p. 296. e., ubi epicum carmen affertur, dicit, ἱστορεῖ δὲ — ὁ *Αἰτ.* Ἀλ.. Alii eandem inde coniecturam fecerunt, quod Pleuronius dixisse fertur Hellos a Tyrrhenis ortos ex patrio more tantos Iovi tribuere honores (frg. XX.). Talia vero etiam in carminibus, praesertim docta illa aetate, potuerunt commemorari. Equidem existimo Alexandrum aut multas de historia petitas res inseruisse carminibus suis, aut carmina heroicis fortasse versibus scripta in historiae modum composuisse, nec tamen eum negaverim prosa quoque oratione historiam scripsisse.

Reliqua de Alexandro testimonia, ex quibus neque nomina carminum, neque fragmenta cognoscimus, ipsis fragmentis, ubi aptum videbatur, adieci.

ALEXANDRI AETOLI
FRAGMENTA.

I. ΠΟΤΟΣ.

Athen. IV. 170. e. f.: *Ζητητέον δὲ εἰ καὶ ὁ τραπεζοκόμος ὁ αὐτός ἐστι τῷ τραπεζοποιῷ· Ἰόβας γὰρ ὁ βασιλεὺς ἐν ταῖς ὁμοιότησι τὸν αὐτὸν εἶναί φησι τραπεζοκόμον καὶ τὸν ὑπὸ Ῥωμαίων καλούμενον στρούκτωρα, παρατιθέμενος ἐκ δράματος Ἀλεξάνδρου, ᾧ ἐπιγραφὴ Πότος·*

Εἰς αὔριόν με δεῖ λαβεῖν αὐλητρίδα·
Τραπεζοποιὸν δημιουργὸν λήψομαι.
Ἐπὶ τοῦτ᾽ ἀπέστειλ᾽ ἐξ ἀγροῦ μ᾽ ὁ δεσπότης.

Servi haec verba esse a domino missi rure ad oppidum aliquod luxu mollitieque cognitum satis elucet; ad quem ea loquatur coniectura effici minime potest. Hoo tamen veri simillimum videtur ad initium dramatis ea pertinere, ubi quae ad compotationem necessaria sint, comparentur, et quidem pridie ipsam compotationem, quae dramatis argumentum est. Quale et cuiusnam domini hoc fuerit convivium, quinam convivae, ne suspicari quidem debemus.

Athenaeus quaerendum sibi proposuit, num *τραπεζοκόμος* idem sit qui *τραπεζοποιός*, idque re vera esse ostendit, quanquam non aperte pronuncia-

vit: nam dicit eundem esse *τραπεζοκόμον* atque Romanorum *structorem* deinde *τραπεζοποιὸς* ita describitur, ut etiam hunc appareat eundem esse qui *structor*. Verba enim *παρατιθέμενος ἐκ δράματος* non sic interpretanda sunt, quasi Iuba rex nostros Alexandri versus ad demonstrandum laudaverit eundem esse *τραπεζοκόμον* atque *structorem*, sed hoc tanquam certum proponit; nostris vero versibus docere conatur etiam *τραπεζοποιὸν* eundem esse, qui *structor* quem dicunt Romani (ad convivia enim non fabricatore mensarum opus est, sed mensis iam fabricatis earumque structore i. e. ut Servii verbis utar, *ferculorum compositore*), unde colligatur *τραπεζοκόμον* eundem esse qui *τραπεζοποιός*. Structoris erat eluere patinas ac vasa, curare lucernas, libationes facere, alia horum similia; demique cibos afferre et adstare convivis, quod quidem officium ab Athenaeo significatur l. IV. p. 170. d. f.. Hesychius officium eius ita interpretatur: *τραπεζοποιός ἐστιν οὐχ ὁ μάγειρος, ἀλλ' ὁ τῆς πάσης περὶ τὰ συμπόσια παρασκευῆς ἐπιμελούμενος.* Eodem modo Pollux; cf. Virg. A. I. 701—706, ubi Servius ad v. 704. *struere* interpretatur *ordinare, componere, unde et structores dicuntur ferculorum compositores.* — De Iuba rege Mauritaniae, viro eruditissimo cf. Athen. plur. ll., Etym. M. voc. *βλίτυρι* et voc. *Διόνυσος.* — In Athenaei edd. et mss. antea legebatur *στρούκτορα;* Schweighaeuserus primus ex uno cod. ms. restituit *στρούκτωρα.* — Verbum *λαμβάνειν* non ipsum neque emendi, neque conducendi usquam habet notionem, sed ubi de rebus eiusmodi sermo est, quas aut emere

tantum aut conducere possis, ut h. l. tibicinam et structorem, ibi nos per se intelligitur, si eas accipiamus, aut emendo id facere aut conducendo. — *αὐλητρίδες* et *ὀρχηστρίδες* ad convivium veteribus arcessitae sunt res admodum nota; cf. Ar. Ran. 514. sqq. ed. Dind. — *δημιουργὸς* quivis dicitur opifex publicus, etiam artifex, qui saepius *χειροτέχνης* vel *χειρώναξ* appellatur.

II. ΑΙΠΟΛΟΙ. III. ΤΙΓΩΝ.

De his fabulis vide quae diximus p. 15—18.

IV. ΔΙΟΝΥΣΟΣ.

A : 1

Schol. Ven. ad Il. I. 216: — *τὸ δὲ χρῆ ὀξυνόμενον μὲν — σημαίνει ἐπίῤῥημα τὸ δεῖ· περισπώμενον δὲ ῥῆμα Ἀττικόν· ἀπὸ γὰρ τοῦ χρῶμαι τὸ δεύτερον τῆς κοινῆς διαλέκτου ἐστὶ χρᾷ, Ἰωνικῶς, Ἀττικὸν δὲ χρῇ, ὡς εἴρηται Ἀλεξάνδρῳ ἐν Διονύσῳ·*

ἰδοὺ κάτοπτρον· εἰπέ μοι τούτῳ τί χρῇ;

Attica nimirum dialecto Alexander dramata scripsit. In Scholiis legebatur

ἰδοὺ κάτοπτρον· εἰπέ μοι τί χρῇ τούτῳ;

quod per metrum ferri non potest.

V.

Kouloglo 67-12

Ταμιεῖον ἀρετῆς ἐστι γενναία γυνή.

Stob. Serm. 65. ὅτι κάλλιστον γάμος· Naekius Sched. Crit. p. 6. hunc versum *Euripide vel Euripidea aetate dignum* appellat. — In edd. legitur *ταμεῖον;* Brunckius *ταμιεῖον* restituit; eandem Bentleius emendationem

fecit in Menandro (in Meinekii Menand. et Philem. p. 501.). Simili modo Porsonus emendavit ὑγιείας in Eur. Or. 229, ubi legebatur ὑγίας. In Thuc. I. 96. extr. fere omnium codd. consensu legitur ταμιεῖον: glossator a Duckero ad hunc locum laudatus ταμεῖον statuit esse τὸ ἰδιωτικὸν — *cellam penuariam* —, ταμιεῖον τὸ δημόσιον — *fiscum, aerarium* —, quae differentia neque per se quidquam habet, quo veri similis modo fiat, et ipsis tollitur locis a Duckero et aliis ad Thucydidem laudatis. Non raro ταμιεῖον pro *cella privata*, nec minus ταμεῖον pro *aerario* legitur. Suidae interpretatio ab illa glossatoris Duckeri longe diversa est: ταμεῖον, θησαυρός — *aerarium* —, καὶ ταμιεῖον; et ταμιεῖον, κοιτών — *cubiculum* —. Certissimis quidem haec res argumentis confici nequit, propterea quod plurimis locis utrumque in codd. invenitur: *iota* enim ante cognatam diphthongum ει facillime potuit a scribente omitti; sed a ταμίας mera atticisque scriptoribus inprimis frequentata derivatio fit ταμιεῖον, ταμιεία, et quod Moeris Attic. discrimen statuit, ὑγιεία Ἀττικῶς, ὑγεία Ἑλληνικῶς, idem inter nostra vocabula est. De littera ι in vocabulo ταμεῖον recenter formato elisa cf. Lobeck. ad Phryn. p. 493. Notionem utrumque habet utramque: nostro loco rectissime Naekius dicit Alexandrum non ab aerario metaphoram, sed a cella penuaria petisse.

VI.

A. Gell. N. A. XV. 20: *Alexander Aetolus hos de Euripide versus composuit:*

Ὁ δ᾽ Ἀναξαγόρου τρόφιμος στρυφνὸς μὲν ἔοικεν ἐμοίγε προσειπεῖν,
Καὶ μισογέλως, καὶ τωθάζειν οὐδὲ παρ᾽ οἶνον μεμαθηκώς,
Ἀλλ᾽ ὅτι γράψαι, τοῦτ᾽ ἂν μέλιτος καὶ Σειρήνων ἐτετεύχει.

Olim legebatur ὁ δὲ, Valckenarius ad Phoen. p. 588. ὁ δ᾽; inter τρόφιμος et στρυφνὸς legebatur ἀρχαίου, quod Valckenarius commutavit minus nota voce χαιοῦ, et verbum ἔοικε, quod ante προσειπεῖν legebatur, omisit auctoritate Franeq. Codicis ms.; totum versum sic emendavit:

Ὁ δ᾽ Ἀναξαγόρου τρόφιμος χαιοῦ στρυφνὸς μὲν ἐμοί γε προσειπεῖν.

Vocabulum χαιοῦ non modo minus notum est, sed ne Atticum quidem: est enim Laconicum, Ar. Lys. v. 90. 1160. Deinde librarii non ita facile pro χαιοῦ neque forte, neque de industria scribere solent ἀρχαίου. Mihi quidem tota vox videtur delenda: nescio enim cur Anaxagoram Aetolus *veterem* appellaverit. Vocem ἀρχαίου fortasse aut doctus quidam librarius, aut qui legebat hos versus, adiecit ut indicaret Anaxagoram antiquum illum philosophum esse, non Isocrateum rhetorem, aut Zenodoteum grammaticum. Quem bonus ille homo vitare volebat errorem, in eum re vera Meursius ad Chalcidium incidit, quippe qui Scholiastae locum ad Apoll. Rh. IV. 814, ubi Anaxagoras philosophus commemoratur, ad grammaticum Zenodoteum spectare putaverit. Contra Valckenarium videtur etiam structura esse: omisso enim verbo ἔοικε nullum aliud nisi ἐστὶν intelligi potest: sed ipsi Alexandro Euripides non potuit esse στρυφνὸς προς-

εἰπεῖν. Quare deleta voce ἀρχαίου reliqua servavi atque verborum ἐμοίγε ἔοικε locis commutatis versum primum ita componendum existimavi:

Ὁ δ' Ἀναξαγόρου τρόφιμος στρυφνὸς μὲν ἔοικεν
ἐμοίγε προσειπεῖν.

Verbum τωθάζειν Timaeus in lexico Platon. interpretatur χλευάζειν, σκώπτειν, διασύρειν, ad quem conf. Ruhnkenius, qui nostrum ibi versum laudavit. Poeta noster minus immodestum cavillandi genus hoc verbo videtur significare, quam id quod eo significari solitum est; cf. inprimis Her. II. 60. —

VII.

Schol. ad Ar. Ran. 848. ed. Dindorf.: ἄληθες, ὦ παῖ κ. τ. λ. — ὅτι δὲ λαχανοπώλιδος υἱὸς ἦν ὁ Εὐριπίδης, Ἀλέξανδρός φησιν. Cf. Ar. Thesm. v. 387. de Euripide:

Εὐριπίδου τοῦ τῆς λαχανοπωλητρίας.

et v. 455. sq., quo loco eius in mulieres odium indicatur:

Ἄγρια γὰρ ἡμᾶς, ὦ γυναῖκες, δρᾷ κακά,
Ἅτ' ἐν ἀγρίοισι λαχάνοις αὐτὸς τραφείς.

VIII. EPIGRAMMA IN PANEM.

Πίγρης ὀρνίθων ἄπο δίκτυα, Δᾶμις ὀρείων
Κλείτωρ δ' ἐμβυθίων, σοὶ τάδε, Πὰν, ἔθεσαν,
Ξυνὸν ἀδελφειοὶ θήρης γέρας, ἄλλος ἀπ' ἄλλης,
Ἰδρίτα καὶ γαίης, ἰδρίτα καὶ πελάγευς.
Ἀνθ' ὧν τῷ μὲν ἁλός, τῷ δ' ἠέρος, ᾧ δ' ἀπὸ δρυμῶν
Πέμπε κράτος ταύτῃ, δαῖμον, ἐπ' εὐσεβίῃ.

Hoc epigramma in cod. Vat. inscribitur Ἀλεξάνδρου Μαγνήτου, qui Alexander Magnesius alibi, quantum sciam, nusquam commemoratus haud dubie, nescio quo fato, nostri poetae nomen extrusit. Brunck. Anal. I. p. 418, III. p. 96.; Iacobs. Anth. Gr. ed. mai. I. p. 207., ed. min. (Pal.) I. p. 172., III. p. 164., Animadv. in Brunck. Anal. Tom. I. P. II. p. 235.; cf. Hieron. de Bosch. ad Anth. Gr. l. VI. tit. 15. ep. 10.

Est ἀναθηματικόν, in Iacobs. Anth. Pal. num. 182. Tres fratres ex genere hominum venatico, auceps, venator montanarum ferarum, piscator, suae quisque artis instrumenta Pani deo venatorum et piscatorum patrono similem ipsi honorem tribuentes volunt consecrata, sed ea quasi sub conditione, ut ipsis deum tam pie colentibus e suae cuique artis regione salus a deo mittatur. Ita solent veteres diis sacra offerre, ut ab iis bona longe oblatis maiora precentur. — Prorsus idem, quod nostri epigrammatis, argumentum est multorum aliorum, in Iacobs. Anth. Pal. ex genere τῶν ἀναθηματικῶν n. 11. (ubi trium fratrum illorum instrumenta dicuntur τρισσῶν ἐργασίη καμάτων), n. 12—16, 179—181, 183—187; simile est n. 170.

Vers. 2.: in codd. Pal. et Plan. legitur ἐκ βυθίων, Brunckius ἐμβυθίων scripsit, nescio an non ex cod. Vat.; Iacobsius miratur id a Brunckio factum esse, quum βύθια bonum aptumque vocabulum sit: huic voci defensione nulla opus est, sed praepositio ἐκ minime quadrat; non enim *e piscibus* retia consecrantur, sed retia *inde a piscibus* i. e. *piscatoria*. Genitivi omnes pendent a praepos. ἀπό, quae nil aliud indicat, quam

quo retia quaeque pertineant; etiam repetitur ea verss. 3. et 5. Alia res est n. 180. v. 1.:

ταῦτα σοὶ ἔκ τ' ὀρέων, ἔκ τ' αἰθέρος, ἔκ τε θαλάσσης.

Pronom. *τάδε* ostendentis est: *ea quae adsunt, quae vides.* — male post *ἔθεσαν* plene interpungitur. — Talia instrumenta in templis deorum suspendebantur: Hor. Od. III. 26. 3. sq., Epist. I. 1. 4. sq.; etiam praedae bello partae: Virgil. A. VI. 860.

Vers. 3.: *ἀδελφειὸς* est magis epica vox, Orph. Lith. 320. 353. 570.; invenitur etiam in Iacobs. Anth. Pal. *'Αναθημ.* n. 11. v. 5.; *ἀδελφεὸς* n. 186. v. 1. et Callim. ep. XXI. 3.

Vers. 4.: hoc versu causa significatur, quare et piscatores et venatores Panem venerentur; est etiam *ἡγέτης δισσαῖν θηροσύναιν*, Iacobs. Anthol. Pal. I. p. 170. n. 167.; cf. Toup. Cur. Nov. in Suid. p. 214. ed. Lips.. In cod. Plan. legitur *ἱδρυτὰ γαίης*, in quo miror Brodaeum non offendisse; in cod. Vat. et edd. vett. *ἰδρίτα*, quod cum per se iam probetur, tum Suidae confirmatur testimonio, qui voc. *ἴδριας* hunc versum, ut nos eum scripsimus, laudat [22]); *ἰδρίτα*, vocativus ab *ἰδρίτης*, idem quod *ἴδρις*, hoc loco non *gnarus* modo significat, sed sensu latiore accipiendum est, *habitandi, versandi:* cf. Lobeck. ad Soph. Ai. 881. (Herm. 869.), ubi Hermannus mala, ut mihi quidem videtur, distinctione usus est, quippe qua pleonasmus oriatur in ver-

22) Kusterus ad Suidam l. l. epigramma nostrum non laudavit, fortasse etiam non cognovit, cf. Toup. Cur. Nov. p. 224. ed. Lips.

bis ἴδρις et εἴ ποθι πλαζόμενον λεύσσων admodum aegre ferendus. — Vocem καὶ edd. vett. plane omittunt.

Vers. 5.: in uno cod. Vat. legitur τῷ δ' ἀπὸ δρυμῶν, contra metrum, nisi vocem ἠέρος ut spondeum pronuncies, spondeum certe parum elegantem, cui pronunciationi accurata quoque horum poetarum ratio metri repugnat; pronom. rel. ᾧ metri gratia positum est pro demonstr. τῷ: exempla vide apud Hermannum ad Vig. p. 706. sq., Matth. Gr. Gr. §. 289, quibus addatur Hes. ἔργ. 22. — De priori syllaba vocis δρυμῶν a poetis et inprimis quidem ab antiquioribus nonnumquam, ut dicunt, correpta vide Hermann. ad Orph. Arg. v. 681. Ubi plur. num. δρύμα invenies, prior syllaba semper corripitur, ubi δρυμοί, producitur, ut in Orph. H. 35. v. 10., H. 45. v. 4., Callim. H. Lav. Pall. v. 116., Bion. Id. I. 20. 68.; nostro in loco δρυμῶν est haud dubie gener. masc..

IX. EPIGRAMMA IN VENEREM ARMATAM.

Αὐτά που τὰν Κύπριν ἀπηκριβώσατο Παλλὰς
Τᾶς ἐπ' Ἀλεξάνδρου λαθομένα κρίσιος.

Hoc epigramma in Anth. Plan. n. 172. inscribitur *Ἀλεξάνδρου Αἰτωλοῦ*. Brunck. Anal. I. p. 418. Iacobs. Anth. Gr. ed. mai. I. p. 207.; Animadvv. in Brunck. Anal. T. I. P. II. p. 235.; Hieron. de Bosch. ad. Anth. Gr. l. IV. tit. 12. ep. 20. In linguam Germanicam conversum est ab Iacobs. in *Variis Scriptis* T. II. p. 29. Est epigramma in Veneris armatae statua inscriptum, quae propter insignem artis praestantiam ipsius Minervae manibus dicitur facta, ut Martial. l. VI. epigr. 13. de statua Iuliae:

Quis te Phidiaco formatam, Iulia, caelo,
Vel quis Palladiae non putet artis opus?

Εἰς Ἀφροδίτην ὡπλισμένην, ut nostrum, etiam Leonidae epigramma inscriptum est in Anthol. Plan. n. 171. et alia; unum, n. 174., inscribitur *Εἰς τὴν ἐν Σπάρτῃ ἔνοπλον Ἀφροδίτην*, quod quia nostro aptissime comparari potest non inutile erit hic descripsisse:

Παλλὰς τὰν Κυθέρειαν ἔνοπλον εἶπεν ἰδοῦσα·
Κύπρι, θέλεις οὕτως ἐς κρίσιν ἐρχόμεθα;
Ἡ δ' ἁπαλὸν γελάσασα, τί μοι σάκος ἄντιον αἴρειν;
Εἰ γυμνὴ νικῶ, πῶς ὅταν ὅπλα λάβω;

Nimirum Lacedaemonii quum omnes deos suos, tum Venerem inprimis armatam colebant; a diis enim virtutem bellicam petendam, summum decus in armis esse existimabant. Plutarch. Apophthegm. Lacon. p. 232. Instit. Lacon. §. 28. De Venere Spartanorum armata quae *Μορφὼ* dicebatur, cf. Paus. III. c. 15., Quintil. Inst. or. II. 4. §. 26. Alibi Venus nuda aut certe non armata proponebatur.

Vers. 1.: in libb. est *αὐτάν*, quod servavit Hieronymus de Bosch; Aldus in cod. suo habuit *αὐτά*, recte, quod etiam Heynius coniectura effecit; bene Grotius interpretatur: *Ipsa puto Venerem finxit doctissima Pallas.* — *Κύπρις* vocatur Venus, quia emersa prope Cyprum a delphino in eam insulam deportata est; cf. Wolf. ad Hes. Th. v. 199.; unde etiam dicitur *Κυπρογένεια* vel *Κυπρογενής*; nonnunquam duo nomina coniunguntur: Hom. H. Ven. init. *Ἀφροδίτη Κύπρις*; Musaeus de amor. Her. et Leandr. 38. *Κυθέρεια Ἀφροδίτη*; primus hac de re monuit Heinrichius ad

Hes. Scut. 197; cf. Ilgen. ad Leonid. Tarent. epigr. in Ven. Anadyom., Voss. epistt. myth. II. ep. 28. — ἀπηκριβώσατο est vox technica de artificio eleganter atque accurate perfecto; cf. Ernest. Lex. Technol. Rhet. voc. ἀπακριβόω.

Vers. 2.: haud ineleganter poeta dicit statuam Veneris factam esse a Minerva pristinae irae atque aemulationis oblita. — In voce Ἀλέξανδρος prima, quae alibi semper brevis est, producitur in epigr. Iacobs. Anthol. Pal. Tom. II. p. 439. n. 477. v. 2.

X. EPIGRAMMA IN ALCMANEM.

Σάρδιες, ἀρχαῖος πατέρων νομός, εἰ μὲν ἐν ὑμῖν
Ἐτρεφόμαν, κέρνας ἦν τις ἂν ἢ βακέλας
Χρυσοφόρος, ῥήσσων καλὰ τύμπανα· νῦν δέ μοι Ἀλκμὰν
Οὔνομα καὶ Σπάρτας εἰμὶ πόλεως τρόφιμος
Καὶ Μούσας ἐδάην Ἑλικωνίδας, αἵ με τυράννων
Θῆκαν Κανδαύλεω μείζονα καὶ Γύγεω.

Hoc epigramma in codd. Vat. et Pal. inscribitur Ἀλεξάνδρου, haud dubie Αἰτωλοῦ; servatum est a Plutarcho *de fuga* p. 599. (sine nomine scriptoris) et in Constantini Cephalae Anth. Gr. n. 780. ed. Reisk.; cf. Brunck. Anal. I. p. 418, Iac. Anth. Pal. T. I. p. 319. n. 709., Animadvv. in Brunck. Anal. T. I. P. II. p. 235, Salmasii Exercitt. Plin. p. 579. sq., in germ. ling. conversum ab Iacobsio in *Var. Script.* T. II. p. 144.

Ab Iacobsio inter ἐπιθύμβια numeratur: equidem existimo non mortuum, sed vivum Alcmanem poetae animo obversatum fuisse. Alcman felicem se praedicat, quod non Sardibus, sed Spartae educatus fuerit: Sardibus tympana se pulsaturum fuisse, nunc Musis

Graecorum cognitis potiorem se atque beatiorem vel ditissimis factum esse tyrannis. — Iam Alexandri Aetoli temporibus de Alcmanis patria dissentiebatur, et huic fortasse sententiarum hac de re discrepantiae et nostrum et Leonidae Tarentini epigr. in Brunck. Anal. T. I. p. 241. n. 80. suam originem debent. Scaliger Laconem eum fuisse inde collegit, quod dorica usus sit dialecto, quod per se parum firmum est argumentum. Epigrammate nostro satis docemur eum natione quidem Lydum fuisse parentes Sardibus oriundos habentem, sed Spartae nutritum, neque inepte hanc ipsam ob causam Spartanus dicatur. Legenda sunt hac de re, de Alcmanis patria, vita, de triplici eius nominis forma — *Ἀλκμαίων*, *Ἀλκμάων*, *Ἀλκμάν* — inprimis doctissima Welckeri *De Alcmane Spartano* prolegomena editioni Alcmanis praemissa, cuius hanc potissimum de Alcmanis origine sententiam (p. 6.) amplector, „eum non in Lydia natum et pretio emtum in Graeciam deductum, sed Spartae potius patre servo ortum esse", quam sententiam equidem eo suspicor argumento firmari, quod in epigrammate nostro Sardes prisca vel prior parentum sedes vocantur. Cf. Suidas voc. *Ἀλκμάν· Λάκων ἀπὸ Μεσσόας.* — Strab. VIII. p. 364.: *Μεσσόα δὲ οὐ τῆς χώρας ὄνομα, μέρος δὲ τῆς Σπάρτης.* O. Müller. Orchom. p. 315. [33]), Dor. II. p. 39.

---

[33]) *„Alcman, der Lyder, war keineswegs in die Stämme der dorischen Spartiaten aufgenommen, sondern nur in die Landphyle der Messoaten".*

Vers. 1.: in cod. Pal. (a pr. m.) est *Σάρδιαι ἄρχαιαι*, in Vat. *Σάρδιαι ἀρχαίαι*, utrumque vitiosum; Salmas. et Reisk. *Σάρδιες ἀρχαῖαι*; recte apud Plutarch. et Brunck. *Σάρδιες, ἀρχαῖος*; nihil enim est, cur Sardes Alcman ipsas antiquas appellaverit: num Sardes Sparta antiquiores? sed Sardes Alcmani parentum sedes antiqua i. e. *prisca* vel *prior* fuerunt; etiam verba *πατέρων νομὸς* tam nude posita displicerent: *ἀρχαῖαι* cum *Σάρδιες* coniunctum nullam vim habet, *ἀρχαῖος* cum *νομὸς* magnam; — *πατέρων* pro *parentum* cf. frg. XII. 2.

Vers. 2.: apud Plutarch. *κέλσας* (etiam *κελμὰς*) *ἤ τις* (etiam *ἤ τίς*) *ἀνὴρ μακέλας*; in cod. Pal. et ed. Iens. *κέρνας ἤστισαν ἢ μακέλας*, in Vat. *κέρνας ἦν τις ἂν ἢ μακέλας*; Salmasius coniecit *κελλὰς ἦν τις ἂν ἢ βακέλας*, *κελλὰς* ex Hesychio interpretatus *μονόφθαλμος*, et *βακέλας* — *ἀπόκοπος*, ut erant Galli matris Idaeae sacerdotes, quae in Phrygia maxime et vicina Lydia colebatur; *βακέλας* recte coniecit, minus recte *κελλάς*: nam Galli et *ἀπόκοποι* erant et *μονόφθαλμοι*. Haud meliora Ursinus coniecit in frgg. lyr., *κέλμις ἤ τις ἀνὴρ βακέλας*, in quibus tautologia poeta nostro indigna, structura vero nulla. Reiskius pro Salmasii emendatione *βακέλας* male excogitavit *μακελᾶς*, quod a *μάκελλα* derivat maximeque subtiliter explicare conatur, ut nobis persuadeat *ligonarium* eo significari. Pro *κέρνας* idem non male quidem ingeniose coniecit *χέρνας* (dorice pro *χέρνης*), quod Hesychius interpretatur *πένης, λάτρις, χειροτέχνης, ὁ ἀπὸ χειρῶν ζῶν*. Sed homines pauperes, manibus victum sibi parantes,

ubique inveniuntur; hic vero commemorandi erant homines, qui Lydiae proprii essent, et hi quidem uni sunt Cybelae sacerdotes. Quare Lobeckius in *disputationis de mysteriorum Eleusiniorum gradibus Part.* I. p. 12., quod iam Salmasius timidius quidem conatus erat, codicum scripturam κέρνας idonee defendit et voce κερνοφόρος [34]) interpretatus est. Non inepte singularia duo Cybelae sacerdotum genera commemorantur, *sacrifer* et *tympanorum pulsator;* sensus nudus hic est: *Sardibus educatus fortasse Cybelae sacerdos factus fuissem,* quam vitae rationem Alcman videtur non beatam existimavisse. Tria in hoc epigrammate sibi opposita sunt, Sardes et Sparta, Cybelae sacerdotium et Musarum Heliconidum artes, vita non beata et vita beata: Sardibus Alcmani Cybelae sacerdoti facto vita misera futura fuisset; Lacedaemone Musas colendo beatus est. — *Βακέλας* est rarior forma pro *βάκηλος*, ut *λάγνης* pro *λάγνος*, *ἀδολέσχης* pro *ἀδόλεσχος*, Lobeck. ad Phryn. p. 184.; cf. frg. XII. 7. *πρωθήβης* = *πρώθηβος*, et XII. 10. *βριαρὸς* = *βριαρής*. De notione illius verbi cf. Phryn. p. 272. ibique Lobeck.: *σημαίνει ὁ βάκηλος τὸν ἀποτετμημένον τὰ αἰδοῖα, ὃν Βιθυνοὶ καὶ Ἀσιανοὶ Γάλλον καλοῦσι.* Photius coniungit *τὸν γυναικώδη καὶ βάκηλον;* Lucianus T. III. p. 175. ed. Reitz. *βάκηλον καὶ εὐνοῦχον.*

---

[34]) Poll. l. IV. s. 103.: *κέρνεα ἢ κέρνα τὰ ἐπιθυόμενα τῇ μητρὶ θεῶν· κερνοφόρος ὁ τὰς θυσίας ἄγων.* — Schol. Nicand. Alex. 217: *κερνοφόρος ἡ τοὺς κρατῆρας φέρουσα ἱέρεια· κέρνους φασὶ τοὺς μυστικοὺς κρατῆρας, ἐφ' ὧν λύχνους τιθέασι.*

Vers. 3.: ῥήσσων καλὰ τύμπανα: haec omnia dicta sunt in cultum Cybelae matris deum, cuius templi Sardiani mentionem facit Plutarchus Vit. Themist. c. 31. cf. Lucian. T. III. p. 395.: ὡς ἀγείροιεν τῇ μητρὶ σὺν αὐλοῖς καὶ κυμβάλοις βάκηλοι γενόμενοι; Catull. carm. 53., inprimis v. 10.:

quatiensque terga tauri teneris cava digitis,

quem versum Grotius et Plutarchi interpres in vertendo nostro epigrammate videntur secuti: Grotius vertit *quatiens cava tympana,* Plut. intp. *rumperem cava tympana.* Meziriacus, teste Iacobsio, legendum proposuit ῥῆσσον, male, fortasse illam Plutarchi versionem secutus. — De verbo ipso cf. Apoll. Rh. I. 539: πέδον ῥήσσωσι πόδεσσιν; in Homero semel invenitur, Il. XVIII. 571., ad quem locum lege Koeppen.; plerumque ῥήγνυμι; — de tympanis Hemsterh. ad Ar. Plut. p. 134., Hoeck. Creta I. p. 219. sqq.; vocabulum καλὸς priorem syllabam, ut hoc loco, correptam habet frg. XII. 21., productam XII. 4.; cf. Callim. H. Cer. 36., Dian. 181, epigr. 31. v. 3, alibi; prior syllaba vocis Ἄρης plerumque correpta est, sed Il. II. 515, V. 594. 704, XVIII. 264. producta, unde notus ille versus Il. V. 31.:

Ἆρες, Ἄρες βροτολοιγέ, μιαιφόνε, τειχεσιπλῆτα!

adiectivum λιρὸς priorem habet plerumque correptam, in Alex. frg. XII. 30. productam; prior syllaba vocis Γύγης alibi longa est, corripitur infra v. 6. Exempla huius tum in nominibus propriis, tum in aliis vocabulis poetarum licentiae, quae maior est in peregrinis nominibus, collegit Hieron. de Bosch ad Anth. Gr.

T. I. p. 297. 437. — Ap. Plut., Ursin. et Br. legitur *νῦν δέ μοι Ἀλκμάν;* in cod. Vat. et ed. Iens. *νῦν δέ μοι ἄλλο οὔνομ' ἐκ Σπάρτας εἰμί;* ex his duobus tertium aliquod componere posses, *νῦν δέ μοι ἄλλο — οὔνομα κὠκ Σπάρτας εἰμί,* nisi Graeci ita non loquerentur, neque id ipsum poeta indicare voluisset, habitare se Spartae, quod nos dicimus, *ich bin aus Sparta*[35]). Legendum est *νῦν δέ μοι Ἀλκμὰν οὔνομα καὶ Σπάρτας:* non enim *κέρνας* et *βακέλας* nomina sunt, quo referatur vocabulum *ἄλλο;* id vero non dixerim quod Iacobsius putat, ipsum poetae nomen, ab *ἀλκή* derivandum, hic non sine gravitate positum esse: poeta iam nominis dorica forma indicavit Alcmanem fuisse Spartanum, quale nomen ipsi Sardibus nato atque nutrito non contigisset.

Vers. 4.: in Plut. libb. partim legitur *Σπάρτας εἰμὶ πόλεως,* partim *πολίτης,* versus aperte mancus; Salmasius e membranis dicit se *supplevisse πολυτρίποδος,* cuius tamen supplementi plus equidem Salmasii coniecturae quam codici puto deberi; neque nobis compertum est, quomodo Sparta tripodibus unquam celebritatem habuerit, et quamvis eam habuisset, eius mentio tamen minus in hunc locum quadraret; postremo ne structura quidem satis apta videtur, *εἰμὶ Σπάρ-*

35) In epigrammate *εἰς τοὺς ἐννέα λυρικοὺς ποιητάς* (Welcker. Syll. Epigr. Gr. p. 278.) de ipso Alcmane dicitur, *ἐστὶ καὶ ἐκ Σπάρτας:* sed hoc epigramma Naekius coniicit esse Marci Musuri, Welckerus iudicat pessimi certe scriptoris.

τας πολιτρίποδος: differt hic locus a frg. XI. 2, ubi eadem structura, ἀρχαίων ἦν ὅδ᾽ ἀνὴρ προγόνων, profecto aptissima est; sed valde vereor ut graece dicatur εἶναι Σπάρτας i. e. *Spartae habitare* vel *civem esse Spartanum*. Accedit ut hanc sententiam versui primo, quo dicitur Alcman Sardibus non educatus, magis accurate opponi necesse sit. Ego existimo ap. Plutarchum unum excidisse vocabulum, quo desiderata haec oppositio fuerit expressa: vocabulum τροφὸς passivae notionis non satis idoneum habet auctorem; quare adieci τρόφιμος; cf. frg. VI. 1. — πόλεως, quod saepe fit, iambi loco positum est, ut frg. XII. 20. χρύσεος et hoc loco v. 6. *Κανδαύλεω* molossi. Quum ita hunc versum restituissem, postea similem iam ab Ursino factam coniecturam inveni, πόλεως ναέτης, qua Ursini mea duplici ratione mihi quidem visa est confirmari, primum quod eiusmodi supplementum alii quoque desideravissent, deinde quod mea desideratae oppositioni magis mihi apta videretur magisque placeret, quam illa Ursini.

Vers. 5: Plutarchus, quem secutus est Ursinus, Ἑλληνίδας, cod. Pal. et ed. Iens. Ἑλικωνίδας, quod nomen Musarum proprium omnes merito receperunt.

Vers. 6: Nomen *Δασκύλεω*, quod in codd. legitur (in cod. Vat. δ^ϖσκόλεω), valde molestum est, quum Dascylus vel Dascyles non tyrannus fuerit, sed pater Gygis tyranni, ipse privatus. Reiskius quidem sine omni dubitatione „Dascylum et Gygem, hunc filium, illum patrem, reges Lydiae ex Herodoto notos“ appellat. Herodoti verba (I. 8.) Dascylum aperte docent

non regem fuisse; et si verum esset, quod Iacobsius dicit (qui *doctam hanc — Δασκύλεω — lectionem* non putat sollicitandam), Dascylum non tyrannum quidem, sed tamen ex primoribus Lydiae viris fuisse: ipsi responderem Dascylum ex primoribus quidem Lydiae viris fuisse, non tamen tyrannum. Cf. Bentl. ad Hor. Od. II. 17. p. 132. Aut recipienda est Bentleii coniectura *Κανδαύλεω*: fortasse librarius duplicem syllabam *καν*, quae est etiam in verbo *θῆκαν*, levi quadam incuria semel tantum expressit, unde unum vocabulum *θῆκανδαύλεω* ortum est, quo postea disiuncto facillime fieri potuit, ut altera pars *δαύλεω* interiectis litteris *σκ* in *δασκύλεω* abiret; aut quod invitus fecerim, statuere debemus, ipsum poetam nescio quo errore deceptum Dascyli et Candaulis nomina confudisse, fortasse quae modo filii essent, ea transtulisse in patrem, quum non cogitaverit patrem non fuisse tyrannum. — Pro *μείζονα* in Plut. *κρείσσονα*: illud magis aptum videtur ad significandam vitae felicitatem, quae in divitiis vel summis minime posita est. De Candaulis et Gygis tyrannorum divitiis omnia nota sunt ex Herodoto. Gygis divitiae veteribus in proverbio erant: cf. Creuz. ad Antiquiss. Histor. frgg. p. 203; de correpta priori syll. huius nominis Bentl. ad Hor. l. l. et quae supra ad v. 3. voc. *καλὰ* monuimus.

XI. EPIGRAMMA IN BOEOTUM.

Ὄν γ' Ἀγαθοκλῆος λάσιαι φρένες ἤλασαν ἔξω
  Πατρίδος, ἀρχαίων ἦν ὅδ' ἀνὴρ προγόνων,
Εἰδὼς ἐκ νεότητος ἀεὶ ξείνοισιν ὁμιλεῖν
  Ξεῖνος, Μιμνέρμου δ' εἰς ἔπος ἄκρον ἰών·

Παιδομανεῖ σὺν ἔρωτι ποτ' ἦν ἴσον, ἔγραφε δ' ὡνὴρ
Εὖ παρ' Ὁμηρείην ἀγλαΐην ἐπέων,
Πισσύγγους ἢ φῶρας ἀναιδέας ἤ τινα χλούνην
Φλοίοντ' ἀνθηρῇ σὺν κακοδαιμονίῃ,
Τοῖα Συρηκοσίοις καὶ ἔχων χάριν· ὃς δὲ Βοιωτοῦ
Ἔκλυεν, Εὐβοίῳ τέρψεται οὐδ' ὀλίγον.

Athen. XV. p. 699. b. c. ὅτι δὲ ἦν τις περὶ αὐτοὺς (παρῳδοὺς) δόξα παρὰ τοῖς Σικελιώταις, Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλὸς ὁ τραγῳδοδιδάσκαλος ποιήσας ἐλεγεῖον τρόπον τοῦτον δηλοῖ· — sequitur ipsum epigramma, quod ante Casauboni operam ei navatam legebatur vel maxime depravatum: in libris „omnia" — haec sunt Casauboni verba — „sic mendis deformata sunt, ut magnis consoribus qui antea in hac parte operam posuerunt, animus defuerit eorum emendationem aggrediendi". Casauboni cura demum adeo emendatum est, ut a posterioribus in universum intelligi posset iisque via monstrata esset, qua pergerent, ut vitia quae a Casaubono relicta erant — non enim omnia possumus omnes — magis magisque deminuerentur. Haud inutilem in eo emendando laborem postea collocarunt Iacobsius ad Brunck. Anal. T. I. P. II. p. 244, et Sweighaeuserus ad Athen. l. l. Vide inprimis quae de hoc epigrammate supra monuimus Litt. E.; ibi enim plura dicenda fuerunt, quae nisi dubitatio de nomine carminis tollenda fuisset, ad hunc usque locum reservassem.

Vers. 1: quidquid statueris de ipsius carminis natura, hic versus in libb. ab initio certe corruptus est: omnino enim desideratur obiectum, accusativus, ut habeas, quo verbum ἤλασαν possis referre; etiamsi antea

de Boeoto iam sermo fuisset, pronomen tamen αὐτὸν aut simile aliquid ad verb. ἤλασαν addi debebat; quum vero reliqua in hoc disticho haud dubie sana videantur, medicina opus est uni vocabulo ὡς. Casaubonus hanc difficultatem duobus verbis mutatis expedire conatus est: cogitavit de Agathocle quodam ut hieronica in patriam redeunte, atque pro ὡς scripsit ὥς, εἴσω pro ἔξω, quod prorsus infeliciter factum esse posteriores omnes intellexerunt. Sed videtur hoc esse virorum maxime ingeniosorum, ut multa elegantissime doctissimeque emendent, nonnulla etiam pessime corrumpant. De Boeoto exule agitur, quem Agathocles Siciliae tyrannus ex patria eiecerat, viro tum generis nobilitate, tum hospitalitate et ingenio excellente. Dalecampius coniecit ὃν δ', Iacobs. τόνδ', Schweigh. dicit, „poteras et οὗς coniectare". Equidem non dubito quin legendum sit ὅν γ', quod fortasse parum distincte expressum — ὅνγ' — facillime legi et postea scribi potuit ὡς; item in v. 9. pronom. ὅς in ms. abiit in particulam ὡς; particula γὲ mixtam h. l. habet notionem, cf. frg. XII. 21.: videtur enim esse partim non aperte indicantis, partim miserantis, fortasse etiam illam oppositionem spectantis, quae est in versu carminis extremo; post πατρίδος deinde commate interpungendum erit. Sensus hic est: quem quidem Agathocles patria expulit, hic vir erat etc., initium ab epigrammate minus alienum; cf. Iacobs. Anth. in indic. epigrr. — Pro Ἀγαθοκλεῖος recte Iacobs. Ἀγαθοκλῆος; animadvertendae sunt λάσιαι φρένες, *aspera mens* Agathoclis, quae etiam aliunde satis nota est. Similia

sunt in Il. II. 851. XVI. 554. Fortasse ipsum Agathoclem Boeotus parodia quadam insectatus est.

Vers. 2: cf. frg. XII. 2: ἔσται ἐκ πατέρων.

Vers. 4: hic versus in libb. monstruose compositus erat: *Μιμνέρμου δεὶ σε πόσα κρονίων.* Casaubonus „absque ulla ullius litterae immutatione pulcherrimum loquendi genus cum sententia optima restituit" — δ' εἰς ἔπος ἄκρον ἰών — quam tamen sententiam minus recte interpretatus est, *calluisse* (non ut Casaubonus dicit, Agathoclem, sed Boeotum) *eximie Mimnermi poesin, sive poeseos id genus, in quo excelluit Mimnermus.* Melius, ut videtur, Schweighaeuserus, *Mimnermi praeceptis penitus imbutus, Mimnermi praecepta perfectissime secutus.* — Saepius neutrum ἄκρον hoc sensu genitivo coniungitur, verbi causa εἰς ἄκρον ἱέναι σοφίας, ἀρετᾶς, alia; hoc loco foret εἰς ἄκρον ἔπεος vel 'επέων. De illa Casauboni emendatione cf. Valck. Diatr. Eur. p. 279. Mimnermi poesis maxime elegiaca et amatoria fuit, (Athen. XIII. p. 598. a. Hor. epist. I. 6. 65, II. 2. 101.), quam poesin parodi non imitati sunt.

Verss. 5. 6.: Tertium distichon olim sic legebatur:

Παιδομανεῖ σὺν ἔρωτι πότην. ἴσον ἔγραφε δ' ὢν
Ἥρευς παρ' Ὁμηρείην ἀγλαΐην ἐπέων.

In mss. erat δ' ὡ'νηρεῦ. Casaubonus emendavit

Παιδομανεῖ σὺν ἔρωτι πότης ἴσος ἔγραφε δ' ὡ'νὴρ
Καὶ παρ' Ὁμηρείην ἀγλαΐην ἐπέων.

Verba *Παιδομανεῖ σὺν ἔρωτι* servanda sunt; pro πότης ἴσος ego legere malim cum Schweigh. ποτ' ἦν ἴσον, ipsius Casauboni illam emendandi rationem secutus, unos accentus in priori sillaba reponendo, et pro

δ' ὡ'νὴρ *Καὶ παῤ* cum Westono (ad Hermesian. p. 69.) δ' ὡ'νὴρ *Εὖ*, ut in mss. est; *καὶ* propterea ferri non potest, quod poeta de Boeoti scriptis aut scribendi genere nondum locutus est: nam illa Mimnermi imitatio ad mores atque vivendi rationem pertinuit, quod docet etiam vers. 5.; verbum ἔγραφε iam collocatione sua iis, quae antea dicta sunt, clare oppositum est: *vita eius talis fuit; scripsit vero* etc. — εὖ est *bene, pulcre, eleganter;* — praepos. παρὰ significat Boeoti scripta eiusmodi fuisse, ut proxime ad Homeri carminum elegantiam accesserint; cf. Athen. XIV. p. 621. c. ibique Schweigh., ubi ἱλαρῳδία dicitur σεμνὴ παρὰ τὴν τραγῳδίαν. — Iacobs. in emendandis et explicandis verss. 5—10. iusto longe audacior fuit.

Vers. 7. 8. in edd. valde corrupti sunt:

> *Πισσυγάσῃ φωρᾶσαν ἀειδέας ἤ τίνα χλούνην*
> *Φλοΐων ἀθήρῃ σὺν κακοδαιμονίῃ.*

In ms. est ἀΐδέας; Casaubonus dicit haec *mera monstra esse, quibus debellandis ne Aristarchum quidem sufficere.* Monstra fuere: sunt iam debellata, et quidem iisdem illis Casauboni armis. Westonus enim litteris, quae in ms. sunt, recte disiunctis, perfectissimum ut nos eum scripsimus, priorem vers. effecit, vocabulo πισσυγάς cum πισσύγγους commutato atque Pollucis et Hesychii auctoritate firmato [36]): πίσσυγγοι sunt *sutores*, et φῶρες ἀναιδεῖς *fures impudentes;* eiusmodi

[36]) Poll. VII. 82: *τοὺς δὲ τὰ ὑποδήματα ῥάπτοντας πισσύγγους ἔνιοι τῶν κωμικῶν καλοῦσι· καὶ τὰ ἐργαστήρια αὐτῶν πισσύγγια.* Hesych.: *Πισσύγγιον· σκυτεῖον,* et *πισσύγγων· σκυτέων.*

homines Boeotus in parodias suas induxit. Male Schweighaeuserus proposuit *πίσσυγγας* a *πίσσυγξ*, quod contra metrum est. Nec tamen Westonus nulla monstra reliquit: pro *χλούνην*, quod bonum vocabulum est, posuit *χλαινῶν*, et vers. sq. ita mutavit:

ἁπλοΐδων θῆραν σὺν κακοδαιμονίᾳ —

quod mallem non fecisset. Nos iam antecedentibus moniti sumus, ut quantum fieri possit, litteras quae in ms. sunt, retineamus, et etiam h. l. eas retinere debemus, duas tantum addere, quarum una iam addita est a Schweigh., pro *ἀθήρῃ* scripto *ἀνθηρῇ*; alteram ipse addidi verbo *φλοΐων*, et pro litt. *ω* reposui *ο*: scripsi enim

φλοίοντ' ἀνθηρῇ σὺν κακοδαιμονίῃ —

φλοίω et *φλύω* eandem originem habent, eandem significationem: cf. p. 27. Notionem verbi *χλούνης*, quae huic loco conveniat, non satis quidem potui expedire [37]); attamen videtur homo intelligi infimae classis, fortasse grassator, aut garrulus, aut castratus quidam; id vero certum est gradationem aliquam inesse vocabulis *πισσύγγους*, *φῶρας ἀναιδέας* et *χλούνην*, ita ut altero alter inferior sit. — *φλοίειν* vel *φλύειν* est *nugari*, *ἀνθηρὸς* est *viridis, vividus, hilaris, amoenus, iucundus*, atque *ἀνθηρὴ κακοδαιμονίη* est amentia quaedam, qua legentes vel spectantes delectantur; totius loci sensus hic est: *scripsit vero Boeotus vel descripsit sutores, aut fures impudentes, aut garrulum quendam hilari cum amentia nugantem.* Huiusmodi argumenta fuerunt parodiarum Boeoti, et ea quidem Syracusanis iucunda.

37) De significatione huius vocis doctissime disputavit Heinrichius ad Hes. Scut. 168.

De parodiarum poetis cf. Athen. XV. p. 698. a. p. 699. c.; Daub. et Creuz. Stud. Vol. VI. p. 267—330.

Vers. 9: verba καὶ ἔχων χάριν tum structura, tum sensu referenda sunt ad illa εὖ ἔγραφε, et particula καὶ interpretanda *etiam* vel *quoque*. — In ms. legitur ὡς δὲ Βοιωτοὺς; recte Schweigh. cum Iacobs. ὅς δὲ, et Βοιωτοῦ cum eodem et cum Casaub. corrigendum putavit.

Vers. 10: verba οὐ δ' ὀλίγον Weston. et Schweigh. omnino perperam interpretati sunt, *haud parum, immo multo etiam magis*, quorum prior adeo a vero aberravit, ut opinaretur carmen nostrum elegiam esse in ipsum Euboeum. Uterque igitur statuit, Euboeum ab Alexandro praeferri Boeoto. Illud vero per se iam ineptum esset contendere, si quis unum poetam audiverit, ipsi placiturum esse alium illo paullo meliorem: poetae nobis aut placent aut displicent, etiamsi alios inferiores non audiverimus, et qui per se displicent, ii etiam auditis aliis inferioribus non placebunt. Sin vero bonos poetas audiverimus, peiores minime nobis placebunt, et haec est ipsa nostri loci sententia: οὐδ' ὀλίγον est *ne parum quidem*, quod horum verborum collocatio iam satis declarat: cf. frg. VI. 2. XII. 7. *Si quis Boeotum audiverit, hic Euboeo ne parum quidem vel minime delectabitur.* De Boeoto et Euboeo parodiarum scriptoribus cf. Athen. XV. p. 698. b., Daub. et Creuz. Stud. Vol VI. p. 301. Alexander Boeotum longe duxit praeferendum Euboeo: an re vera ipsi praeferendus fuerit, equidem non diiudicaverim. Athenaeus (XV. p. 699. a.) Euboeum testatur multa in carminibus grata dixisse, et (p. 698. a.) eum inter parodiarum scriptores nobilissimum fuisse aetate Philippi. Fortasse etiam Aetolus ipsi aliquid laudis eo tribuit, quod Boeotum tam dicit clarum fuisse, ut longe superaverit ipsum Euboeum.

Digitized by Google

XII. ΑΠΟΛΛΩΝ.

Παῖς Ἱπποκλῆος Φόβιος Νηληϊάδαο
  Ἔσται ἰθαιγενέων γνήσιος ἐκ πατέρων·
Τῷ δ' ἄλοχος μνηστὴ δόμον ἵξεται, ἧς ἔτι νύμφης
  Ἠλάκατ' ἐν θαλάμοις καλὸν ἑλισσομένης,
Ἀσσησοῦ βασιλῆος ἐλεύσεται ἔκγονος Ἀνθεὺς
  Ὅρκι' ὁμηρείης πίστ' ἀποδωσόμενος,
Πρωθήβης, ἔαρος θαλερώτερος· οὐδὲ Μελίσσῳ
  Πειρήνης τοιόνδ' ἀλφεσίβοιον ὕδωρ
Θηλήσει μέγαν υἱόν, ἀφ' οὗ μέγα χάρμα Κορίνθῳ
  Ἔσται καὶ βριαροῖς ἄλγεα Βακχιάδαις·
Ἀνθεὺς Ἑρμείῃ ταχινῷ φίλος, ᾧ ἔπι νύμφη
  Μαινὰς ἄφαρ σχήσει τὸν λιθόλευστον ἔρων·
Καί ἑ καθαψαμένη γούνων ἀτέλεστα κομίσσαι
  Πείσει· ὁ δὲ Ζῆνα ξείνιον αἰδόμενος
Σπονδάς τ' ἐν Φοβίου καὶ ἅλα ξυνεῶνα θαλάσσῃ,
  Κρήναις καὶ ποταμοῖς νίψετ' ἀεικὲς ἔπος·
Ἡ δ' ὅταν ἀρνῆται μελεὸν γάμον ἀγλαὸς Ἀνθεύς,
  Δὴ τότε οἱ τεύξει μητιόεντα δόλον
Μύθοις ἐξαπαφοῦσα· λόγος δέ οἱ ἔσσεται οὗτος·
  Γαυλός μοι χρύσεος φρείατος ἐκ μυχάτου
Νῦν ὅ γ' ἀνελκόμενος διὰ μὲν καλὸν ἤρικεν οὖσον,
  Αὐτὸς δ' ἐς Νύμφας ᾤχετ' ἐφυδριάδας·
Πρὸς σὲ θεῶν, ἀλλ' εἴ μοι, ἐπεὶ καὶ πᾶσιν ἀκούω
  Ῥηϊδίην οἶμον τοῦδ' ἔμεναι στομίου,
Ἰθύσας ἀνέλοιο, τότ' ἂν μέγα φίλτατος εἴης.
  Ὧδε μὲν ἡ Φοβίου Νηλεΐδαο δάμαρ
Φθέγξεθ'· ὁ δ' οὐ φρασθεὶς ἀπὸ μὲν Λελεγήϊον εἷμα
  Μητρὸς ἑῆς ἔργον θήσεται Ἑλλαμενῆς·
Αὐτὸς δὲ σπεύδων κοῖλον καταβήσεται ἄγκος
  Φρείατος· ἡ δ' ἐπί οἱ λιρὰ νοεῦσα γυνὴ
Ἀμφοτέραις χείρεσσι μυλακρίδα λᾶαν ἐνήσει·
  Καὶ τόθ' ὁ μὲν ξείνων πολλὸν ἀποτμότατος
Ἠρίον ὀγκώσει τὸ μεμορμένον· ἡ δ' ὑπὸ δειρὴν
  Ἀψαμένη σὺν τῷ βήσεται εἰς Ἀΐδην.

Parthen. Erot. c. XIV. — *ὡς καὶ Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλὸς μέμνηται ἐν τοῖσδε ἐν Ἀπόλλωνι.* Cf. Galei Histor. poet. scriptor. antiqu.; Passow. Corp. Sriptor. Erot. Gr. V. I.; Iacobs. Anth. Gr. T. I. p. 208, VII. p. 239. sqq.; Br. Anal. I. p. 419.; Iacobs. ad Br. An. T. I. P. II. p. 239. sqq. Memoires de L'academie des inscriptions T. XXXIV. p. 63. sqq.: *Recherches sur les auteurs dont Parthenius a tiré ses narrations.* Parthenius, qui Virgilii traditur fuisse praeceptor, omnium de Alexandro testium et antiquissimus et locupletissimus atque ideirco nobis gravissimus est. Meleager enim, siquidem hic Parthenio antiquior est, Alexandrum quasi uno tantum verbo commemoravit. Fabula quae versibus a Parthenio servatis narratur haec est: Antheus Assesi regis filius Phobio Hippoclis Nelidae filio erat pro obside datus. Antheo conspecto Phobii coniux (Cleoboea, quam alii Philaechmen appellant) libidinoso quodam desiderio statim incensa quum precibus cum ad amorem pellicere non potuisset, quippe qui Iovem hospitalem et mensam communem vereretur, perniciosis artibus excogitatis ipsum oravit, ut situlam sibi auream fune dirupto in puteum nuper delapsam inde repeteret: qui cum dolum non suspicatus in puteum descendisset, illa molari lapide immisso eum quidem necavit, se ipsam suspendit. — Parthenius c. XIV. eandem fabulam prosa oratione ex Aristotele narrat, eo tantum discrimine, quod Phobii coniux pro situla perdicem in puteum praecipitaverit. Phobius originem suam a Neleo traxit, qui Athenis teste Aeliano V. H. VIII. c. 5. cum Ionibus colonis in Asiam profectus Miletum condidit.

Vers. 1. Mirari licet hunc versum, qui totius carminis nescio quotus fuerit, non particula quadam cum antecedentibus coniunctum fuisse: fortasse huius fabulae narratio uno alterove versu priori praeparata fuit ita ut particula nulla opus esset. — Collocatio verborum in h. v. non usitatior est. — In Anall. legitur *Νειληϊάδαο;* Legrandius, Parthenii editor, scribit *Νηληϊάδαο,* quam recte Brunckius dicit veram esse scripturam, ut in Theocr. XXVIII. 3., Orph. Arg. 156, Apoll. Rh. I. 156.

Vers. 2: duplex forma invenitur, *ἰθαιγενῆς* et *ἰθαγενής,* utraque idoneis exemplis probata; prior fortasse antiquior fuit: cf. Schaefer. et Bast. ad Greg. Cor. p. 294.; Lob. ad Phryn. p. 648.; Göttling. ad Arist. Politic. p. 303.; Intpp. ad Od. XIV. 203.; Herod. II. 17, VI. 53.

Vers. 3: pro *ἥξεται,* quod in cdd., bene Passow. recepit *ἵξεται* e. cod., in quo *eta* deletum, *iota* superscriptum. — *νύμφη* est recens nupta: Hesych. *νύμφη· ἡ νεωστὶ γαμηθεῖσα,* et *νύμφαι· αἱ νεόγαμοι κόραι.* cf. Spanhem. ad Callim. H. Apoll. 90., Serv. ad Virg. A. X. p. 1511.

Vers. 4: vulgo *ἑλισσομένη;* recte Galeus *ἑλισσομένης;* medium h. l. non inepte positum est; pro *ἑλίσσειν* hac significatione Homero frequentatum est *στρωφᾶν,* Od. VI. 53. 306. VII. 105.

Vers. 5: *Ἀσσησοῦ:* Herod. I. 19: *Ἀθηναίης, ἐπίκλησιν Ἀσσησίης* — et, *χώρης τῆς Μιλησίης ἐν Ἀσσησῷ.* Steph. Byz. voc. *Ἀσσησός· πόλις Μιλησίας γῆς.* Wesselingius ad Herod. dicit „non decernere se, nostro loco virine an oppidi nomen sit“. Recentiores videntur

omnes dnbitare: nemo enim ad hanc Wesselingii dubitationem dixit se non dubitare; equidem mihi videor non dubitare debere, quin regis nomen significetur: primum enim duo isti genitivi iuxta positi sine articulo non satis placerent; deinde vocabulum ἔκγονος videtur nomen potius quam sedem patris desiderare, ut versu primo Phobius Hippoclis filius appellatur: cuiusnam terrae vel oppidi rex fuerit Hippocles, non indicatum est; postremo valde vereor, ut Assesus, ignobile terrae Milesiae oppidum, suum ipsius regem habuerit. Quidni etiam viri hoc nomen sit?

Vers. 6: in cod. et edd. ἀποδωσόμενος; nescio cur Legr. et Passow. mutaverint ἐπιβωσάμενος: illud propius, quam ἐπιβωσάμενος, accedit ad verbum, quod hac in re frequentatum est, ὅρκια δοῦναι, Od. XIX. 302.: *Antheus fida pignora reddit quasi tradita ipsi a patre;* deinde futurum tempus h. l. multo aptius est quam aoristns. Heynius male vertit hunc vers., *testatus se pro obside venire.*

Vers. 7. Μελίσσῳ: nescio qnid sibi velit Galeus, quum dicit Melissum vicum agri Corinthiaci esse.

Vers. 8: Cornarius legit Πετρήνης, unde Gal. Πετρίνῃ; Vales. ad Diod. Sic. in Excerpt. T. II. p. 548. et Davis. ad Max. Tyr. diss. XXIV. 1. T. I. p. 452. optime restituerunt Πειρήνης (qui notus fons est in arce Corinthi), quam certam emendationem omnes receperunt. Πειρήνης ὕδωρ non simpliciter pro Corintho dictum videtur; fortasse pulcritudinis augendae vis quaedam ipsi tribuebatur. — ἀλφεσίβοιον ὕδωρ est Aeschyleum, Suppl. v. 857. (Passow.); Heynius

male iungit ἀλφεσίβοιον υἱόν: in Il. XVIII. 593. παρθένοι dicuntur ἀλφεσίβοιαι, sed longe alia significatione.

Vers. 9: Cornar. θελήσει; nescio quis alius θαλήσει; Davis. et Gal. θαλλήσει: sed formam θαλλέω pro θάλλω merito Passowius dicit haud minus quam θαλέω esse suspectam, ipse magna cum veri similitudine hunc versum restituit pro θελήσει scribens θηλήσει, sensu transitivo, et aptissime monuit etiam verba θάλλω, ἀνθέω nonnunquam sensu transitivo posita inveniri, Pind. Ol. III. 40.; cf. Schaefer. post Hemst. ad Ar. Plut. p. 530. — Pro μέγαν mallem legere καλόν, nisi hoc nimium ab illo differret. In eodem versu bis idem epitheton varia ratione! *Antheus igitur ipso Melissi filio Actaeone pulcrior ac formosior erit.* Verba ἀφ' οὗ — Βακχιάδαις praebent quadammodo illius doctrinae ostentationis exemplum a nemine poetarum Alexandrinorum prorsus alienae. Propter Actaeonis mortem Bacchiadae Corintho expulsi ab eorumque dominatione Corinthii liberati sunt. Melissus enim Corinthios, interitu ipsis a Pheidone Argorum rege imminente, servavit; quare magni Melisso apud Corinthios erant honores. Post aliquod tempus Bacchiadae noctu Melissi domum irrumpentes Actaeonem filium invitis parentibus abstrahere conati sunt atque adversa fortuna factum est, ut iuvenis necaretur. Corinthii deinde a Melisso rogati, ut filii mortem ulciscerentur, Bacchiadas, deo quoque iubente ex oppido eiecerunt. Schol. Apoll. Rh. IV. 1212. cf. Diod. Sic. et Maximus Tyr. l. l. (p. 283. ed. Lond.), qui pro Melisso Aeschylum nominat Actaeonis patrem; Plut. narratt.

amator. p. 772.; Arnoldi Histor. Syrac. p. 20. sq.; Göller de sit. et orig. Syrac. p. 3. sqq.; O. Müller. Dor. I. p. 115. 3.; de Bacchiadis cf. Herod. V. 92. A plerisque narratur, quod maximam historiae speciem habet, Archiam, unum e Bacchiadis aut certe ex Heraclidis, in Actaeonem formosissimum iuvenem amore frustra flagrantem Actaconis domum noctu irrupisse, ut quae precibus suis denegata essent, allata vi ea extorqueret, ob eamque causam extorrem factum suadente deo in Siciliam confugisse et Syracusas condidisse.

Vers. 11: pro ᾧ ἔνι primus Legr. recte reposuit ᾧ ἔπι; unus Brunck. ᾧ ἔνι. *Antheus Mercurio celeri carus erit, et nupta furioso statim in eum amore capietur.*

Vers. 12. *λιθόλευστον*: Heynius dicit amorem sic nominari propter eventum, quum puerum illa saxo necaverit. Sed hoc vocabulum habet vim passivam, et amor intelligitur nuptae in puerum, non pueri in nuptam, unde, si illud verum esset, nuptam sequeretur a puero necatam esse. Significatur amor poenis gravissimis dignus, dignus qui saxis puniatur i. e. *incestus.* Gal., Legr. et Br. *ἔρον*; Cornar. et Passow. *ἔρων*, recte: nam *ἔρον* est antiquior forma.

Vers. 13: vulgo *καθαψαμένης*; Galeus (non, ut Passow. dicit, Legrandius) emendavit *καθαψαμένη*. Pro *ἀτέλεστα κομίσσαι*, quod in cod. et edd. est, coniecerunt Heyn. et Iacobs. *ἀθέμιστα τελέσσαι*, admodum ingeniose quidem, sed mutatione huic loco nulla opus est: amplexa enim Anthei genua ipsi persuadere conabitur, ut res committat (quae cuiusmodi sint ex antecedentibus quisque intelligit), quae tamen commissae non erunt; cf. v. 17. *μελεὸν γάμον* ibique annott.

Vers. 14: hic vers. in cod. et edd. optime sanus a Iacobsio male mutatus est:

πείσει Ζῆνα δ' ἀνὴρ ξείνιον αἰδόμενος.

Vers. 15: recte cod. et Cornar. ἐν Φοβίου; ἐκ Φοβίου non a primo Parthenii editore, sed a Galeo profectum est. De hoc Genitivo iuncto cum praepos. ἐν, ubi saepe corrumpitur aut genitivus in dativum, aut ut nostro in loco, ἐν in ἐκ, cf. Bast. ad Greg. Cor. ed. Schaefer. p. 46. — In cod. legitur καὶ ἅλα ξυνεῶνα θαλάσσης; Galeus comma poni iubet ante θαλάσσης, haud dubie ut hoc verbum sequentibus κρήναις καὶ ποταμοῖς coniungatur, male. Brunckius mutavit καὶ ἅλα ξυνεῶνα τραπέζης, quod Iacobs. et Legr. probarunt, eo non male ducti consilio, ut Parthenii verba c. XIV. exprimerent, κοινὴν τραπέζαν προϊσχόμενος: attamen paullum friget *sal mensae communis*, quoniam de alio sale quam mensae haud facile cogitamus; ἅλα ξυνεῶνα per se iam sonat mensam communem, et ἅλες dicitur pro hospitalitate, unde ortae sunt locutiones, ποῦ ἅλες, ποῦ τραπέζαι; et ἅλα vel ἅλας καὶ τραπέζαν παραβαίνειν. Alteram quoque et eam quidem optimam Legrandius fecit coniecturam καὶ ἅλα ξυνεῶνα, θαλάσσῃ, quod Passowius ex Cornario se dicit restituisse: iungenda sunt θαλάσσῃ, κρήναις κ. ποταμοῖς. De more veterum nefanda audita fluviis abluendi cf. Valck. ad Eur. Hipp. 653., Meurs. ad Lycophr. 135. — ξυνεὼν pro ξυνήων, Valck. ad Eur. Phoen. p. 161., ad Theocr. Adon. p. 227. A. cf. Pind. P. III. 85.

Vers. 16. νίψετ': diphtongus αι clisa est etiam v. 27.; articulus ante ἀεικὲς ἔπος metri gratia omissus.

Vers. 17: γάμος per πρόληψιν μελεὸς appellatur; γάμος pro *concubitu*, ut *nuptiae* apud Latinos; cf. Muncker. ad Anton. Lib. c. I.; Pind. P. IX. 22.: γάμον μιχθέντα; Hemsterh. ad Ar. Plut. p. 401. sq.

Vers. 19: in edd. ἐξαπάφουσα; recte Passow. ἐξαπαφοῦσα: quod enim de praes. temp. ἐξαπάφω dicunt, id nihili est. Omissum est pronom. ἕ, quod antecedente dativo οἱ apte fieri potuit.

Vers. 20: male Galeus coniecit φρείατος ἐν μυχάτῳ — χρύσεος tanquam spondeus pronunciandum est, ut in Il. I. 15. 374.: prima enim etiam elegiacis et epigrammaticis poetis producitur, cf. frg. X. 3, XIII. 4.; corripitur nonnunquam lyricis ac tragicis tantum; cf. Herm. elem. doctr. m. p. 44.; Herm. de dial. Pindar. in Opuscc. I. p. 252.; Boeckh. de metr. Pind. p. 289. et ad Pind. P. IV. 4.; Erf. ad Soph. Antig. 103.; Seidler. ad Eur. Troad. 536.

Vers. 21: in cod. legitur

νῦν ὅ γ' ἀνελκόμενος διὰ μὲν καλὸν ἤρικε νοῦσον,

Piersonus ad Moer. Att. p. 194. dedit

νεῖον ἀνελκόμενος διὰ μὲν κάλον ἤρικεν οὖσον,

Brunckius dicit οὖσον funem nauticum esse et sibi tantum ex Lycophr. [38]) notum, deinde καλὸν epitheton minime aptum; ipse coniecit

νεῖον ἀνελκόμενος διὰ μὲν κάλον ἤρικεν ὄγκῳ

pondere funem dirupit. Lenzius (Iacobs. Anth. T. XII. p. 235.) κακὸν ἤρικεν οὖσον; Iacobs.

νεῖον ἀνελκόμενος διὰ μὲν κάλον ἤρικε σαυνόν,

Hesychio laudato voc. σαυνόν· σαθρόν, χαῦνον, ἀσθενές. Recte Passow. vocem χρύσεος interpunctione a sequenti seiunxit, νῦν ὅγ' servavit; in extr. vers. Piersonum secutus est: situlam auream funis quoque pulcher decebat. In voce οὖσος non opus est haerere.

Vers. 23: πρὸς σὲ θεῶν sine verbo; de omisso verbo in huiusmodi obsecrationibus cf. Valck. ad Eur.

---

[38]) Lycophr. 20. τὰ οὖσα, τὰ σχοινία. Hesych.

Phoen. v. 1659., Porson. ad Eur. Med. 325.; de omissa praepos. πρὸς cf. Porson. ad Eur. Or. 663.; ab his locis noster eo videtur valde differre, quod verba πρὸς σὲ θεῶν excipiuntur per particulam ἀλλά. — Pro πᾶσιν Pierson. παισίν; Brunck. vertit *omnibus facilem esse descensum*, aut πᾶσιν ἀκούω putat idem valere, quod παρὰ πάντων ἀκούω. Piersoni coniectura versus efficitur molestissime sonans, εἴ — μοι — ἐπεὶ — καὶ — παι —, cuiusmodi versus non credo Alexandrum scripturum fuisse; neque πᾶσιν ἀκούειν pro παρὰ πάντων ἀκούειν usquam invenitur: iungitur quidem nonnunquam ἀκούειν cum dativo, sed notione *obediendi*, *exaudiendi*, cf. Matth. Gr. Gr. §. 362. annot. 2., ubi exemplis laudatis addere licet Il. XVI. 515. Legendum est καὶ πᾶσιν: particula καὶ non quidem gravissimam h. l. vim habet, per sensum omitti potuit; sed huiusmodi res illi poetae minus quam versum curabant. Sensus hic est: *audio enim facilem esse descensum.*

Vers. 24: interpretes de genere vocabuli οἶμος nihil animadvertunt; videntur genus femin. sibi persuasum habere: sed vellem exempla dedissent.

Vers. 25: In edd. τοὶ ἂν μετά; Pierson. recte τότ' ἂν μέγα.

Vers. 26: recte Legr. et Br. Νηλείδαο; Νηλιάδαο, quod Passowius dedit, non est patronymicum nominis Νηλεύς; cf. Apoll. Rh. I. 959, Eustath. ad Il. I. 1.

Vers. 27: Λελεγήϊον εἶμα, vestem Milesiam. Miletus enim, testibus Plinio V. 31. et Didymo ap. Steph. Byz. voc. Μίλητος, Schol. ad Dion. Perieg. 823, etiam Λελεγηΐς dici solita erat. Leleges enim una cum Caribus ut prisci Milesiae terrae incolae commemorantur, utrique a Neleo inde expulsi dicuntur a Strabone XIV. p. 610. sqq. ex Pherecyde, ab Aeliano V. H.

VIII. c. 5.; cf. Kannius ad Cononis Narratt. II., τότε δ' ἐνέμοντο Κᾶρες p. 67.; de vestibus Milesiis cf. intpp. ad Ar. Ran. 548, ad Hor. epist. I. 17. 30.

Vers. 28: pro Ἑλλαμένης, quod mirum nomen videbatur, Galeus coniecit ἀλλόμενος, Legr. ἐσσαμένης, utrumque ridiculum; Iacobs. Ἀλκαμένης; Passow. Ἑλλαμενῆς, correcto tantum accentu; cf. Bastii epist. crit. p. 161.

Vers. 30. ἐπὶ οἱ: animadvertenda est littera ι ante οἱ non clisa. Pro λιρὰ Legrandius male coniecit σκληρά. Hesych. λιρά· ἀναιδῆ. — λιρός· ἀναίσχυντος, ἀναιδής, θρασύς. cf. Etym. M. p. 562. 40.

Vers. 33: in cod. et edd. ἠρίον ὀγκώσει, in quo interpretes non immerito haesitarunt. Legr. et Heyn. coniecturas iusto audaciores fecerunt; Brunck. ἠρίον οἰκήσει; Iacobsius versum priorem mutavit, pro καὶ τόθ' ὁ μὲν ξείνων πολλὸν ἀποτμότατος dedit καὶ τόδε μὲν ξείνων πολλὸν ἀποτμοτάτῳ, *hunc tumulum Cleoboea hospitum infelicissimo exstruet*, utrumque satis quidem ingeniose: sed propter sequentia ἡ δὲ oppositionis gratia ὁ μὲν servanda sunt; et contra Brunckium hoc est, quod non facile intelligitur, qua ratione pro οἰκήσει, optimo et usitatissimo verbo, ὀγκώσει, quod multo minus usitatum est, scribi potuerit. Passowius hunc locum interpretatur, *hunc fatalem tumulum (imum putei fundum) premet hospitum longe infelicissimus:* concedit plerumque quidem terram sive tumulum dici mortuum premere; hic vero ait rem invertisse poetam ingeniosum, suo usum iure: ὀγκῶσαι enim ἠρίον recte dici de eo, qui graviter cubet in tumulo, quem nunquam sit relicturus. Nulla inversione opus esset, si legeres,

Καὶ τὸν μὲν ξείνων πολλὸν ἀποτμότατον —

oppositio eadem esset; nec tamen quidquam mutaverim. — μεμορμένον: cf. Lycophr. v. 430.

ἐλεγία

XIII. MUSAE.

Macrob. Saturnal. l. V. c. 22.: Alexander Aetolns poeta egregius in libro qui inscribitur *Musae*, refert, quanto studio populus Ephesius dedicato templo Dianae curaverit praemiis propositis, ut qui tunc erant poetae ingeniosissimi, in deam carmina diversa componerent. In his versibus Opis non comes Dianae, sed Diana ipsa vocata est. Loquitur autem, ut dixi de populo Ephesio:

Ἀλλ' ὅγε πευθόμενος πάγχυ Γραικοῖσι μέλεσθαι
Τιμόθεον κιθάρης ἴδμονα καὶ μελέων,
Υἱὸν Θερσάνδροιο τὸν ἤνεσαν ἀνέρα σίγλων
Χρυσείων ἱερῇ δὴ τότε χιλιάδι
Ὑμνῆσαι ταχέων Ὦπιν βλήτειραν ὀϊστῶν·
Ἥτ' ἐπὶ Κεγχρειῷ τίμιον οἶκον ἔχει.

et mox:

Μηδὲ θεῆς προλίπῃ Λητωΐδος ἀγλαὰ ἔργα.

Brunck. Anal. I. p. 419. Iacobs. ad Brunck. Anal. T. I. P. II. p. 237. sqq. Quid veluerit populus Ephesius, ipse Macrobius exposuit. Quum Timotheum comperissent ut carminum lyraeque sui temporis peritissimum in magno esse apud Graecos honore, hunc virum insigni praemio dato permoverunt, ut cantu Dianam celebraret. Timotheus [39]) Thersandri filius Milesius, aequalis Euripidi, a Lacedaemoniis ac-

[39]) Cf Timothei epitaph. apud Steph. Byz. voc. *Μίλητος*, emendatum a Iacobs. ad Anth. Gr. T. III. P. II. p. 169.; Tittmann's Griech. Staatsverf. p. 26.; O. Müller. Dor. II. p. 324.

cusatus veteris musices novis inventis corruptae ac labefactatae [40]) Senatus consulto [41]) damnatus atque urbe expulsus est. Etiam illud ipsi obiectum erat, quod indecoris de Semelae partu narrationibus (in carm. Σεμέλης ὠδίν) iuvenum animos corrupisset. Casaubonus ad Athen. VIII. 352. b. eum dicit *poetam tragicum, dithyrambicum atque etiam lyricum, frigidum et nimis saepe ineptum.* Scripsit XVIII. libros numerorum citharoedicorum. Fortasse eius est etiam Euripidis epitaphium in Vita Eurip. ap. Elmsl. ad Bacch. p. 174.

Vers. 1: vulgo legitur πάγχη; Brunck. recte πάγχυ. — Γραικοῖσι pro Ἕλλησι antiquis scriptoribus minime usitatum; cf. Lycophr. 532. 891. 1195. 1338.; Callim. frg. 104. 4., 160.; Eustth. ad Il. μ. p. 890. 15. Isto nomine olim Epiri tantum incolae nominabantur, postea, ut saepe in historia factum est, omnes Graecae terrae nationes: cf. Hesych. et Steph. B. voc. Γραικοί; Niebuhr. Hist. Rom. I. p. 57. — μέλεσθαι, poetice pro μέλειν, *cordi esse*, cf. epitaph. in Timoth. l. l.:

Πάτρα Μίλητος τίκτε τὸν ἐν Μούσαισι ποθεινὸν
Τιμόθεον κιθάρας δεξιὸν ἡνίοχον.

Apud Macrob. legitur in v. 3. τὸν ἤνεσεν et v. 4. ἱερὴν δὴ τότε χιλιάδα; Salmasius Exercitt. Plin. p. 572. d. legit ποτήνεσεν ἀνέρι σίγλων χρυσείων ἱερὴν τῶν τότε χιλιάδα, *mille siglorum aureorum mercede, quales tunc erant in usu;* Brunck. ἤνυσεν, *dono M siglorum ab*

[40]) Chordarum in cithara numerum fertur auxisse, quod nefas: cf. Paus. III. p. 237.; Plut. de mus. T. X. p. 683. sq. ed Reisk.

[41]) De isto S. C. cf. Casaub. ad Athen. VIII. 352. b., O. Müllerus Dor. II. p. 323. sq.

hoc viro impetravit, ut celebraret: at haec significatio medium desideraret. Iacobsius duo proposuit, *υἱὸν Θερσάνδρου, ἀνέπεισε τὸν ἀνέρα*, et si malis, *υἱὸν Θερσάνδροιο, ἔπῆρε τὸν ἀν.;* Gronovius et Zeunius recte vulgatam scripturam in v. 3. servarunt, et Gronovius in v. 4. pro *ἱερὴν χιλιάδα*, qui accusativus nihil habet quo referatur, dativum restituit; quod vero *τὸν* et *ἀνέρα* seiuncta sunt, in eo non est cur haereas, neque articulum licet mutare. — *Σίγλος*, nummus asiaticus, variis temporibus ac variis nationibus varii pretii fuit. Hesych. *σίγλον· νόμισμα περσικὸν δυνάμενον ὀκτὼ ὀβολοὺς Ἀττικούς· — δύναται δὲ ὁ σίγλος δύω δραχμὰς Ἀττικάς.* Xenoph. Anab. I. 5. 6.: *ὁ δὲ σίγλος δύναται ἑπτὰ ὀβολοὺς καὶ ἡμιοβόλιον Ἀττικούς.*

Vers. 5. *Ὦπιν*: Macrobius huius nominis causa hos versus servavit; diserte testatur Virgilium A. XI. 532. sqq. 836. hoc nomen ab Alexandro Aetolo accepisse, idque nomen apud Alexandrum Dianae ipsius, apud Virgilium sociae, comitis, esse. Eadem Servius ad Virg. tradit: „sane hoc nomen ipsius Dianae fuisse, ab Ephesiis dedicato templo ei impositum, Alexander Aetolus poeta in libro, qui *Musae* inscribitur, refert.“ Cf. Spanhem. ad Callim. H. Dian. 204., H. Del. 292. Palaephatus c. 32. §. 2. testatur, Dianam Thracibus dici *Bendeiam*, Cretensibus *Dictynnam*, Lacedaemoniis Upin. Pro *βλήτειραν* Hemsterhusius ad Lucian. T. II. p. 341. ed. Bip. scripsit *βλητῆρα*, quoniam saepe feminino in appositione masculinum iungatur: sed *βλήτειρα* est bonum vocabulum bene a *βλητὴρ* derivatum, ut a *βοτὴρ βότειρα*, a *σωτὴρ σώτειρα;* quare mutatione et hiatu molesto non opus est. — Timotheus, teste Suida voc. *Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου* et voc. *ὀρθιασμάτων*, audiente Alexandro M.

etiam carmen Minervae, *ὄρθιον* vocatum, tibia cecinit, quo Alexander summopere delectatus est.

Vers. 6: In ms. et edd. legitur *ἡ δ' ἐπὶ Κεγχρειῶν*. *Κεγχρεῖαι* nomen est plurium oppidorum. Iacobsius Cenchreas putat in portu Corinthiaco significari, per se non inepte: in eo enim Dianae templum fuisse Pausanias testatur II. 2. p. 114. Ipse iam intellexeram Corinthiaci templi Dianae mentionem minus ad nostrum locum pertinere, at tamen mihi videbar in ea cernere Alexandrini poetae doctrinam. Sed de Corinthiaco templo hic sermo esse non potest. Cenchrii nomen dedi a Cl. Meinckio restitutum, qui tanta erga me usus est humanitate, ut doctissimam hanc emendationem privatis litteris mecum communicaverit indicatis etiam locis, quibus hic Ephesiae terrae fluvius commemoratur, Pausan. VII. 5. 10, Strab. XIV. p. 639, Tacit. Ann. III. 61. In producta huius nominis forma pro *Κέγχριος* nihil est, cur haesitemus. Pro *ἡ δ'* eodem Cl. Meinekio auctore restitui *ἧτ'*, quanquam illud mihi quidem non omnino reprehendendum videtur. De vi pronominis rel. *ὅστε* cf. Herm. ad Soph. O. T. 688. Ephesiae Dianae templum aedificatum est Ol. 106, quo tempore Timotheus annum aetatis octogesimum quintum degebat: cf. Winckelm. opp. ed. Fernow. T. I. p. 377. sqq.

Vers. 7: Apud Macrobium *ἄκλεα* est, quod miror Gronovium et Zeunium non emendasse; recte Brunck. *ἀγλαά*.

XIV. DE MYSIS.

Strab. l. XII. p. 566. XIV. p. 681.: *καὶ ὁ Αἰτωλὸς Ἀλέξανδρος*·

Οἱ καὶ ἐπ' Ἀσκανίων δώματ' ἔχουσι ῥοῶν
Λίμνης Ἀσκανίης ἐπὶ χείλεσιν, ἔνθα Δολίων
Υἱὸς Σιληνοῦ νάσσατο καὶ Μελίης.

Versu primo intelliguntur *Μυσοί*. Pro *Ἀσκανίων ῥόων* altero loco legitur *Ἀσκανίῳ ῥόῳ*. Cf. Strab. XIV. p. 734.: *ἐξ ἧς* (Ascania in Mysia) *καὶ τὸν Ἀσκάνιον ποταμὸν ῥεῖν, οὗ μνημονεύει καὶ Εὐφορίων·*

. . . . Μυσοῖο παρ' ὕδασιν Ἀσκανίοιο.

καὶ ὁ Αἰτωλὸς Ἀλέξανδρος. Cf. Meinek. ad Euphor. frg. XCIII. De terrae Mysiae insigni amoenitate cf. frg. ex Sophoclis Mysis Strab. VIII. p. 356.:

Ἀσία μὲν ἡ σύμπασα κλῄζεται, ξένε,
Πόλις δὲ Μυσῶν Μυσία προσήγορος.

Duae Mysiae feruntur, Europaea et Asiatica. Schol. Apoll. Rh. I. 1115.

XV. ΑΛΙΕΥΣ.

Athen. VII. 296. e: *ἱστορεῖ δὲ περὶ αὐτοῦ (τοῦ Γλαυκοῦ) καὶ ὁ Αἰτωλὸς Ἀλέξανδρος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἁλιεῖ, ὡς ὅτι*

Γευσάμενος βοτανῆς . . . .
. . . . κατεποντώθη . . . .
. . . . ἣν Ἡελίῳ Φαέθοντι
Ἐν Μακάρων νήσοισι λιτὴ φύει εἴαρι γαῖα,
Ἥλιος δ' ἵπποις θυμήρεα δόρπον ὀπάζει,
Ὕλη ναιετάουσαν, ἵνα δρόμον ἐκτελέσωσιν
Ἄτρυτοι καὶ μή τιν' ἕλοι μεσσηγὺς ἀνίη.

De Glauco cf. Athen. et Voss. Epistt. Myth. I. p. 249.

Vers. 1: De hac in insulis Beatorum herba, qua Solis equi nutriebantur, cf. Voss. Epistt. Myth. II. p. 159.; in Bekkeri Anecdot. I. p. 347. ex Aeschyli Glauco ea nominatur *ἀείζωος* et *ἀείζων*.

Vers. 4: Naekius Sched. Crit. p. 16.: *λιτὴ* ut alibi ubique est *λιτανευτή* (Hesych.), *desiderata, expetita, grata.* Aliter Hermannus ad Orph. Argon. v. 92. et in Addend. p. XII. — *εἴαρι*: hanc formam

productam invenies in Hom. H. Cer. 174, qui locus non contra Thierschium est in Gr. Gr. §. 166. 8. a. dicentem εἴαρ pro ἔαρ non Homericum esse. — Post γαῖα commate interpungendum est, et ὕλη ναιετάουσαν per appositionem iuncta sunt cum relat. ἥν.

Vers. 7. ἄτρυτοι: de hac voce Valckenarius ad Theocr. Adon. v. 7. bene disseruit, sed male videtur fecisse, quod pro vulg. scriptura μή τιν' ἕλοι coniecit μή νιν ἕλοι: primum enim recte Grammatici docent νιν plur. num. lyricis tantum ac tragicis poetis usurpari; deinde pronomen indefinitum sing. num. longe aptius est, quam personale plur. num.. Verte, ne quem eorum molestia capiat.

XVI. ΚΙΡΚΑ.

Athen. VII. p. 283. a: Ἀλέξανδρος δ' ὁ Αἰτωλὸς ἐν Κίρκᾳ, εἰ γνήσιον τὸ ποιημάτιον.

Πηδαλίῳ ἄκρῳ ἔπι πομπίλος ἀνιοχεύων
Ἦστ' ἀκάτῳ κατόπισθε, θεοῖς ὕπο, πομπίλος ἰχθύς.

Hi versus in mss. leguntur male disiuncti:

Πηδαλίῳ ἄκρῳ ἐπὶ πομπίλος ἀνιοχεύνης
Τὰ κάτω κατόπισθε θεοῖς ὑπὸ πομπίλος ἰχθύς.

In vett. edd. scribitur ἀνιοχεύει καὶ τὰ κάτω. — ἔπι et ὕπο Schweighaeuserus correxit. Idem in reliquis putat latere ἀνιόχευεν εἰς τὰ κάτω. Equidem iam iudicaveram ne sic quidem locum sanatum esse, nec vero quomodo sanari posset habebam. Veram et eam quidem facillimam eoque magis probandam huius loci emendationem a Meinekio litteris accepi atque bona venia huius humanissimi viri recipere ausus sum. Similis haec emendatio est elegantissimis illis Casauboni aliorumque in frg. XI. Agitur his versibus, quod veri simillimum esse etiam Meinekius iudicavit, de

Ulyssis navicula, cui Circe pompilum quasi gubernatorem imposuit. Poetae animo fortasse Homerus obversatus est Od. XI. 5. sq. Delphini et pompili sacri pisces habebantur, Athen. p. 282. f. A nautis pompilus sacer habitus est, quoniam ipse naves gubernare et in portum usque prosequi dicebatur; cf. Athen. p. 283. d. versus Erinnae:

Πομπίλε ναύτῃσιν πέμπων πλόον εὔπλοον ἰχθύς,
Πομπεύσαις πρυμνᾶθεν ἐμὰν ἀδεῖαν ἑταίραν.

πρυμνᾶθεν idem est, quod *ἀκάτῳ κατόπισθε*.

XVII.

Tzetzes ad Lycophr. v. 266: *Στησίχορος γὰρ καὶ Εὐφορίων καὶ Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλὸς ποιηταί φασι τὸν Ἕκτορα υἱὸν εἶναι Ἀπόλλωνος.* Sturz. ad Hellanici frgg. p. 164. cf. Eustath. ad Il. III. 314: *Πορφύριος ἐν παραλελειμμένοις φησίν, ὅτι τὸν Ἕκτορα Ἀπόλλωνος υἱὸν παραδίδωσιν Ἴβυκος, Ἀλέξανδρος, Εὐφορίων, Λυκόφρων.* Meinek. ad Euphor. frg. CXXV.

XVIII.

Pausan. II. p. 261.: *Εὐφορίων Χαλκιδεὺς καὶ Πλευρώνιος Ἀλέξανδρος ἔπη ποιήσαντες, πρότερον δὲ ἔτι Στησίχορος ὁ Ἱμεραῖος κατὰ ταὐτά φασιν Ἀργείοις Θησέως εἶναι θυγατέρα Ἰφιγένειαν.* Cf. Meinek. ad Euphor. frg. LXI. — Frgg. XVII. XVIII. fortasse ex eodem carmine et eo quidem aut genealogico quodam, aut ex heroico sunt, quod Pausanias verbis *ἔπη ποιήσαντες* et Tzetzes l. l. verbo *ποιηταὶ* videntur indicare voluisse. Item Hephaestionis Scholiastae p. 93. (cf. supra p. 9.) Homerus poetarum (heroicorum) princeps ab Homero tragico Alexandrino distinguitur una voce *ποιητής*.

XIX.

Athen. X. 412. f.: *Τίτορμος δὲ ὁ Αἰτωλὸς διηριστήσατο αὐτῷ* (Miloni Crotoniatae) *βοῦν, ὡς ἱστορεῖ ὁ Ἀλέξανδρος Αἰτωλός.* — *διηριστήσατο* recte in excerptis legitur pro vulg. *διηρίσατο;* illud iam Casaubonus recepit. *Milo et Titormus certatim bovem prandebant.* De Milone ut edacitatis exemplo cf. Athen. l. l.

XX.

Schol. Ven. ad Il. XVI. 233. sqq. (ap. Villois. p. 383.): *Ἀλέξανδρος δέ φησιν ὁ Πλευρώνιος ἔθνος εἶναι τοὺς Ἑλλοὺς ἀπόγονον Τυῤῥηνῶν καὶ διὰ πατρῷον ἔθος οὕτω τὸν Δία θρησκεύειν.* — In Homeri l. l. sermo est de oraculo Dodonaeo Pelasgico: cf. Heynii Excurs. ad h. l.; Creuzer. Symb. et Myth. T. I. p. 214. ed. II. [42]). A. W. Schlegelius in Annall. Heidelberg. a. 1816. N. 54. ex isto Alexandri Pleuronii testimonio primus Pelasgorum ac Tyrrhenorum cognationis argumentum petivit. O. Müllerus Orchom. p. 445. Schlegelium dicit nimium Alexandri testimonio tribuisse. Equidem nihil decernere audeo.

XXI.

Schol. Theocr. in *ὑποθέσει* octavi carminis (Valcken. p. 11.): *Σωσίθεος δὲ λέγει Δάφνιν γενόμενον, ὑφ' οὗ νικηθῆναι Μενάλκαν, ᾄδοντα Πανὸς καὶ Νυμφῶν κρινάντων, γαμηθῆναι δὲ αὐτῷ Θάλειαν. Ἀλέξανδρος δέ φησιν Αἰτωλὸς ὑπὸ Δάφνιδος μαθεῖν Μαρσύαν τὴν μουσικήν.* Haec fortasse ex deperdito aliquo in Daphni-

---

42) Creuzerus Alexandrum Pleuronium s. Aetolum videtur non cognovisse: dicit enim „*So werden z. B. in Beziehung auf das dodonaeische Orakel — ein Alexander von Pleuron genannt.*"

dem epigrammate petita sunt. Naekius illa de Daphnide et Menalca in Sched. Crit. p. 5. ad Daphnidem Sosithei refert. De Daphnide cf. Theocr. I., de Daphnide et Menalca Theocr. VIII. et IX.

XXII.

Etymol. M. p. 288. 3.: δροίτη· ἡ πύελος. ὁ δὲ Αἰτωλὸς τὴν σκάφην, ἐν ᾗ τιθηνεῖται τὰ βρέφη. Παρθένιος δὲ τὴν σορόν. κ. τ. λ. — Cf. Meinek. ad Euphor. p. 49. annot., qui pro Αἰτωλὸς dicit legendum esse Ἀλέξανδρος ὁ Αἰτωλός. Blomfield. Glossarium in Aeschyl. Agam. v. 1518.

In Bekkeri Anecdotis Graecis T. I. p. 96. voc. εὐορκησία commemoratur Ἀλέξανδρος Ἑλένῃ, quod dubito quo referendum sit. Fortasse Ἄλεξις legendum est, cuius comoedia *Helena* fertur; aut quod maiorem speciem habet, Ἀλεξανδρίδης, cuius *Helena*, sive tragoedia sive comoedia, laudatur a Suida voc. ἀβέλτερος. Alexandridis et Alexandri nomina saepius commutata sunt: cf. Hemsterh. ad Ar. Plut. p. 323.

Quem Alexandrum Fabricius B. G. II. p. 275. ed. H. dicit *in Scholiis laudari ad Eur. Androm.* 4, eum in Scholiis nusquam inveni.

Duos Ciceronis locos, qui ad Alexandrum Ephesium spectant, Fabricius et Harlesius retulerunt ad Alexandrum Aetolum. Cic. ad Attic. II. 22. extr.: *libros Alexandri negligentis hominis et non boni poetae, sed tamen non inutilis tibi remisi.* Alter locus est ad Attic. II. 20.: *a Vibio libros accepi: poeta ineptus, nec tamen scit nihil, et est non inutilis; describo et remitto.* Ad Ephesium haec retulerunt Vossius de Poet.

cognomine Lychnum

Gr. c. VIII. p. 219. b., Graevius ad utrumque Ciceronis locum, Iacobsius in Anthol. T. XIII. p. 838, Ernestus in Clav. Cic. p. 81., Naekius in Sch. Cr. p. 7., cuius verba haec sunt: „indignum et Cicerone et Alexandro iudicium, cuius egregii poetae, ut Macrobius dicit, νέους ὄρπηκας ἐλαίης coronae suae intexendos crediderat Meleager. Utinam plures superessent"!

C o r r i g e n d a:

P. 3. l. 5. et 6. corr. Ale-xandro.
— l. 7. — Ptolemaei.
P. 19. l. extr. — κωμῳδοποιοῖς.
P. 21. l. 11. — tragoediae.
P. 32. l. 21. — ἐμοί· Πίνθων.
P. 46. l. 2. — structorem;.
— l. 16. — denique.
P. 48. l. 20. — ὑγίεια.
P. 49. l. extr.: argumentum de Alexandro petitum intellexi nullum esse; reliqua tamen sufficiunt.
P. 63. l. 14. corr. censoribus.
P. 79. l. 21. — voluerit.

I. INDEX LOCORUM,

quibus de Alexandro Aetolo testimonia continentur.

II. INDEX VOCABULORUM GRAECORUM.

TYPIS PETRI NEUSSERI.

VAλ 1516520

Digitized by Google

VIT
X